DISQUISITIO CRITICA

DE

FONTIBUS ET AUCTORITATE

CORNELII NEPOTIS.

DISQUISITIO CRITICA

DE

FONTIBUS ET AUCTORITATE

CORNELII NEPOTIS.

DISQUISITIO CRITICA

DE

F O N T I B U S

ET AUCTORITATE

CORNELII NEPOTIS.

AUCTORE

R. H. EIJSSONIO WICHERS,

Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Iur. Utr. Doctore, in iudicio tractûs Appingadamensis Iudice.

GRONINGAE,
APUD W. VAN BOEKEREN.
1828.

INTRODUCTIO.

Aggredior impeditum opus, quod quo difficilius videbatur, eo magis incipientem me deterruit, tum paulisper detinuit. Nam iudicium laturus de fontibus et auctoritate Cornelii Nepotis, statim intelligo, hunc, quo propius ad ea tempora, quae scribendo attigit, accesserit, quoque plura integra monumenta adire potuerit, eo longius iudices suos ipsum rerum notitia superare. Nobis vero fontes indagantibus plerorumque monumentorum non nisi fragmenta hic illic dispersa supersunt, quin etiam multorum scriptorum opera omnino interierunt, adeo ut hosne secutus sit nec ne, certo dici haud possit. Accedit, quod Nepoti fuit mos, tantum non omnibus veteribus historicis communis, ut minime frequens esset in testibus excitandis, quae religio, ut iudicavit Wyttenbachius, V. Cl. neque postulanda erat in conscribendis rebus minime illis abstrusis et reconditis, sed ad eum iam modum frequentatis, ut scribentis aut error aut fraus facile teneri ac reprehendi posset. Cuius moris tum haec, opinor,

causſa fuit, quod, ſcriptores quibus res nimis notae esſent, et animis quaſi inculcatae, quam ut inter ſcribendum opus iis fuisſet monumenta pervolvere, ut ſingula perquirerent, ideo non ſemper auctores, quos ſequerentur, ante oculos habuerint, eosque ſic descripſerint, ſed memoriter plerumque posteritati res tradiderint. Hinc evenit, ut μνημονικὸν ἁμάρτημα iidem non raro errarent, quale in Strabone notavi in hac commentatione ad locum de Herodoto, et quo errore neque Nepos ſubinde plane abſolvi potest. Hinc item, ut duorum aut plurium ſcriptorum traditiones, etſi ex eodem fonte profectae, aliquando omnino discrepent, ad quas conciliandas frustra ſaepe operam adhibeas. Quod enim hodieque tum in ſcriptis, tum vero in narrationibus non raro deprehendimus, quidni idem de veteribus credere licet? Praeſertim quum ipſi veteres hac in re de ſuperioribus ſcriptoribus conquererentur, ut Diodorus IV. init. τὸ δὲ μέγιςον καὶ πάντων ἀτοπώτατον, ὅτι συμβαίνει τοὺς ἀναγεγραφότας τὰς ἀρχαιοτάτας πράξεις τε καὶ μυθολογίας, ἀσυμφώνους εἶναι πρὸς ἀλλήλους. Huic adeo rei ingrati laboris ne nimium impendas, praeſertim ſi discordia verſetur circa rem minoris aut nullius pretii. Quis enim, ut hoc utar, ita est puſillus, ac pene dicam inſanus, ut multo ſtudio inquirat, an bene ſcripſerit Nepos in Eumene extr., curatum esſe, ut huius osſa ad matrem atque uxorem liberosque eius deportarentur, ideo quod Plutarchus in vita extr. uxoris tantum et liberorum me-

meminit, quos generatim τοὺς οἰκείους appellat Diodorus XIX. 44.

Hae difficultates multaeque aliae etsi menti obversarentur, eas tamen auferebat, certe levabat et, pene dicam, timorem excutiebat argumenti utilitas, summa cum amoenitate coniuncta. Solemus enim, quo maiores fructus opus allaturum esse nobis pollicemur, eo maiore studio et ardore in id incumbere: *ἀφορμῇ δὲ*, inquit Diodorus I. 4, *πρὸς τὴν ἐπιβολὴν ταύτην ἐχρησάμεθα, μάλιστα μὲν τῇ πρὸς τὴν πραγματείαν ἐπιθυμίᾳ, δι' ἣν πᾶσιν ἀνθρώποις τὸ δοκοῦν ἄπορον εἶναι τυγχάνει συντελείας.* Si autem in omni quacunque re, origines rerum indicare, fontes, unde quaeque manarint, aperire, si iudicium de iis ferre; si errores ab aliis commissi reperire et corrigere, si virtutes aliorum agnoscere et confirmare, ad doctrinam non illam quidem inanem, sed accuratam maxime conducit, quidni et vero quanto magis in historia, in qua quaeque ad veritatem referuntur, in qua non vulgo accepta, non rumoribus sparsa, sed certa, ex germanis fontibus hausta, a probatissimis auctoribus tradita tantum admittuntur, ut sic demum ea dici possit *προφῆτις τῆς Ἀληθείας*, quomodo eam appellavit Diodorus, aut *ἱερὰ τῆς Ἀληθείας*, ut Dionysius Hal. Et videmus, etiam ut argumentum ex communi vita petam, in narrationibus fidem earum a narrante maxime pendere, eoque magis iis credi, quo melius de fonte, unde sint profectae, edocti simus, unde tritum illud; *unde habes, aut a quo?* Quamobrem nolui amplius haesitare,

 sed,

sed, exemplo excitatus summorum virorum, qui idem studiorum genus ad alios veteres historicos adhibuerunt, disquisitionem hanc institui, argumento ante hos duos annos proposito a Societate Doctrinarum Rheno-Traiectina. Electis vero ab ea censoribus tametsi oblatum opusculum non ita visum sit; ut praemium ei tribueretur, eorundem tamen haud sane inhonorificum iudicium tum me excitavit, ut illud, paucis mutatis et additis, in lucem mitterem, tum impedivit quominus caeterorum virorum doctorum iudicia nimis extimescerem.

Quodsi vero haec nostra scriptio exilior videatur quam ut sese ipsa possit tueri, eam certe, spero, quadammodo commendabit auctoris nostri, atque adeo argumenti praestantia. Res enim erit cum scriptore, qui ob nativam simplicitatem, ob venustatem non quaesitam, ob latinitatem non vulgarem, ob puram dictionem, vere Romanam et aptam rerum dispositionem probatissimus et est, et a quovis aequo iudice habetur. Quae omnia ultimi Reip. liberae temporis scriptorem magis, quam Theodosii aetatis arguunt; ut nihil attineat repetere quae Lambinus adversus eos notaverit, qui opus hoc non Nepotis sed Aemilii Probi existimarunt. Quo minus miremur Ruhnkenium sibi proposuisse Nepotem aliquando edere, doleamus potius eximii viri propositum effectu caruisse.

Tum, si praeter ea, quae hodie supersunt, deperdita Nepotis opera cogitemus, non possumus quin eum admodum suspiciamus. Nam scripserat *Chronica*, memorata a Gellio, N. A. XXVII. 21.,

quo-

quorum tamen fragmenta non nisi pauca passim reperiuntur. Dein, *Vitas Romanorum excellentium Imperatorum*, ut ipsius Nepotis verba ostendunt, in Hannib. extr.: *Sed nos tempus est, huius libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores: quo facilius, collatis utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit iudicari.* Videtur adeo totum eius opus de excellentibus Imperatoribus in duo volumina fuisse distributum, in quorum priori de exteris, in posteriori de Romanis egerit, ad quam pertinuit fortasse vita illa Catonis, quam paucis nunc conscriptam habemus. Quod opinati nonnulli editores inscriptioni huius vitae adiecerunt: *ex libro posteriore Cornelii Nepotis.* Quamquam nondum exploratum est atque dici vix potest, an pars fuerit operis, quod *de Historicis* confecerat; praesertim quod satis accurate de Catonis scriptis ibi egit. In hoc autem opere tum de Graecis historicis egit, ut ipso ex Nepote constat, si quidem de Philisto historico se exposuisse testatur in Dione, C. 3. Latinos eum item tractasse, inde colligitur, quod de Terentio eum egisse docet Suetonius in vita Terentii. Ut verosimile sit ad hanc operis partem pertinere vitam T. Pomponii Attici. Quod non parum confirmatur Codice Oberti Giffanii, in quo ante Attici vitam haec inscriptio legebatur: *Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis.* Dolere igitur ne desinamus omnia illa opera temporis iniuria periisse, scriptoris praesertim, quem operum inscriptiones

 ar-

arguunt in historia maximum laborem collocasse, operamque dedisse, ut comperiret, quanti pretii singuli auctores habendi essent, qui adeo fontes optime resciret, atque hoc nomine historici munus egregie obire posset. Quae omnia etsi maxime faciant, ut optima quaeque de Nepote existimemus, nostrum tamen est non solum videre, an res scire *potuerit*, sed vel maxime an *re vera sciverit*. Quod critica tantum inquisitione explorari potest.

Soleo equidem sic existimare, in iudicio ferendo de scriptoris fide et auctoritate, praeterquam quod ea nonnunquam ex aliis efficiatur, ut si attendas an iis quae tradidit non repugnet temporis, loci, et hominum natura, si eius traditiones cum aliorum conferas, si inveneris an alii, sive aequales, sive qui postea scripserunt, eum dignum iudicarint, quem sequerentur, et ex innumeris aliis rebus, quae aliquando ab ipsa narratione maxime pendent, ad tria potissimum attendendum esse. Primum ut videas, quos auctores secutus sit, ubi simul notes, quam eorum singuli fidem mereantur. Dein, quomodo eorum scriptis usus sit. Postremo, quo iure ab aliorum scriptorum, qui easdem res at diverso modo retulerunt, traditionibus deflexerit. Atque has leges in hac commentatione perpetuo mihi scripsi, et, ut potui, servavi. Quas tenenti mihi, quid enim diffitear, saepius se obtulit necessitas nostri carpendi. Desideramus quoque nonnunquam in Nepote accuratam Graeci sermonis cognitionem, quam in Romano praesertim requirimus, si quidem Romanis

Graeca lingua ita fere erat familiaris ut patria, quamobrem Cicero, qui in dicendi exercitatione cum Graecis Latina coniunxerat, idem filio censebat faciendum, ut par esset in utriusque orationis facultate. Obstat nonnunquam perversa temporum notatio, quam optime fieri ab historico requirimus vel maxime. Quod si tamen quis non pauca frustra quaesierit in Nepote, ei auctor sum, ut ne eius scriptis sic utatur, uti ex eo omnis historiae illorum temporum, ad quae illae vitae pertinent, cognitionem sibi comparet. Fuit enim Nepos vitarum scriptor, qui non omnia virorum illustrium egregia facinora commemoraret, sed qui nonnulla eorum indicaret, ut ex his, quasi exemplis, illorum virtus elucesceret. Hinc de eo ita scripsit Desiderius in Ciceroniano suo apud Vossium de Hist. Lat. p. 23. *Candidus est laudator omnium, quorum vitam descripsit, ut encomiasten dicas verius quam historiographum.* Et ipse Nepos quum de Pelopida scribere aggrediebatur, de eius virtutibus dubitare se fatebatur quemadmodum exponeret, quod verebatur, ne, si res explicare inciperet, non vitam eius enarrare, sed historiam scribere videretur. Sic, ut exemplum ex multis adducam, in Chabriae vita omisit victoriam navalem ad Naxum, eo duce reportatam. Vid. Diod. Sic. XV. 34 seq. In Timothei, eum in Thraciam esse profectum ibique Potidaeam et Toronem occupasse. Idem. XV. 81. Immo commisit nonnunquam ut non memoraret, quae cum iis, de quibus agebat, arctissime cohaerebant, ne, aut

quae

quae alibi tradidisset repeteret, aut in alius res gestas invadere videretur. Hinc in Aristide multa praetermisit, quae quidem ad huius laudem egregie facerent, quod in Themistocle ea iam attigerat. Adeo, ut, qui Aristidis virtutes ex Nepote cognoscere cupiat, nae is multa desiderabit. Item in Pelopida Epaminondae vita otium ei fecit. Atque haec ex huius scripturae genere sponte explicantur.

Restat, ut de opusculi distributione moneam, quam bipartitam feci, ut in altera parte de Graecorum vitis, in altera de Hamilcaris, Hannibalis et Catonis agerem; nam de vita Attici, Nepotis aequalis, non attinuit commemorare. In singulis autem earum, Nepotis ordine relicto, ab ipsis auctoribus ordinem sumsi. Animadverteram enim, si per vitas inquisitio institueretur, ut factum est ab Heerenio in Plutarchi fontibus investigandis, ad eundem auctorem, quotiescunque eius vestigia apparerent, recurrendum fore. Quod ne committeretur, auctores, qui Nepoti duces fuerunt, recensens indicavi in quibus vitis hic illorum singulos secutus sit. A temporis tamen ordine, quo quique vixerunt, nonnunquam recedendum erat. Prior autem pars, quae maxima est, duas classes auctorum continet: alteram eorum, quos Nepos secutus est, alteram eorum, quos nisi secutum, consuluisse tamen nostrum apparet.

DIS-

DISQUISITIO CRITICA

DE

FONTIBUS ET AUCTORITATE,

CORNELII NEPOTIS.

PARS PRIOR.

DE FONTIBUS ET AUCTORITATE NEPOTIS IN VITIS IMPERATORUM GRAECORUM.

SECTIO PRIOR.

De scriptoribus quos Nepos secutus est.

HERODOTUS.

Initium ab Herodoto ducam, historiae parente, quippe cuius aetas omnium caeterorum historicorum, quorum quidem scripta ad nos pervenerunt, antecessit, quique fide et auctoritate nemini cedit. Quo magis mirandum, eo tam parum nostrum esse usum. Nam quae ab Herodoto tam copiose tradita sunt,

funt, ut fidem ei facile tribuas, in iis noster ab eo recedit alios auctores fecutus. Cuius quidem rei ftatim Miltiadis vita nobis testimonium praebet, ea praefertim quae in eius initio legimus de colonia Cherfonefum deducta, deque rebus ad Lemnum gestis.

Nam primum, fecundum Herodotum VI. 34 feq., non *Athenienfes Cherfonefum colonos mittere voluerunt*, ut ex Nepote efficias, neque *ex his delecti Delphos deliberatum misfi funt*, fed Dolonci reges ipfi fuos eo miferunt, qui Pythiam confulerent. Dein, non *cum Thracibus armis erat dimicandum*, fed hi ipfi bello premebantur ab Abfynthiis, et ea de caussa Pythiam confulebant. Denique, confulentibus non *nominatim Pythia praecepit, ut Miltiadem fibi imperatorem fumerent*, nam, fecundum Herodotum, hoc iis oraculum per ambages, ut fere, editum est. Nam praecepit *Οἰκιστὴν ἐπάγεσθαι ἐπὶ τὴν χώρην τοῦτον, ὅς ἄν σφεας ἀπιόντας ἐκ τοῦ ἱροῦ πρῶτος ἐπὶ ξείνια καλέσῃ.* Miltiades, aperto fibi oraculi effato, confultoque ab eo oraculo: *εἰ ποιοίη τάπερ αὐτοῦ οἱ Δόλογκοι προσεδέοντο*, annuente Pythia, cum Athenienfibus, quibuscunque placuerit, profectus est.

Ut autem Herodotea narratio prae Nepotis valeat, aliorum fcriptorum cum eo confenfus facit. Marcellinus in vita Thucydidis et Scholiastes in Aristid., apud Valcken. ad Herod. VI. 34., eandem atque Herodotus historiam tradunt; ita tamen, ut uterque alium fcriptorem fecutus videatur, unde non parum auctoritatis huic accedit. Marcellinus au-

autem item refert, Athenienses non sua sponte coloniam deduxisse neque iis armis cum Thracibus dimicandum fuisse, sed ab his invitatos esse, oraculo fretis. Ubi tamen pro corrupto: *Θρᾷκες καὶ Δόλοπες*, repone: *Θρᾷκες καὶ Δόλογκοι*. Hi enim erant gens Thraciae, teste Stephano Byz. v. *Δόλογκοι*; illi vero populus Thessaliae vicinus, eodem auctore v. *Δόλοπες*. Scholiastes vero Absynthiis tribuit, quod Herodotus Doloncis, in re tamen inter eum et Herodotum convenit. Ad ea autem quae scribit Noster, *nominatim* Pythiam praecepisse, ut Miltiadem Imperatorem sumerent, velim teneas constantem oraculi morem, quo responsa per ambages et λοξῶς reddebat. Huius quidem rei permulta sunt exempla, apud Herodotum praesertim, tum etiam apud nostrum eximium occurrit testimonium, in vita Themistoclis C. 2. Unde ipsi Apollini *Λοξίου* epitheton, quo nomine appellatur ab Ione apud Aeschylum in Prometh. vs. 668. Eodem autem modo nunc Dolopibus consuluisse oraculum, cum Herodoto, Marcellinus et Scholiastes tradunt. Quo minus audiendus videtur Ravius, qui putabat, nostrum ita scripsisse, tanquam praeter morem illud accidisset. Ne vero quis eo argumento Nepotem tueatur, quod ex scriptore quodam Herodoto antiquiore fortasse hauserit, qui quo propius ad illa tempora accesserit, eo maiorem fidem mereretur. Hellanicum certe Mitylenaeum auctorem non habuit, quippe cum quo Herodotus omnino consentit; si quidem hunc secutum esse Marcellinum inde probabiliter

con-

coniicias, quod Hellanici in eius rei traditione meminit. Ut haud equidem verear ſtatuere, noſtrum recentiorem quemdam (Ephorum?) ſecutum eſſe eiusque adeo traditionem Herodoteae cedere.

Similis inter Noſtrum et Herodotum disſenſus est in iis, quae uterque eorum de Lemno ſcripſit, quam ſibi Athenienſes vindicare volebant. Nam Herodotus VI. 139 tradit, a Pelasgis, ut oraculum conſulerent, Athenas profectis, hanc ſibi inſulam petiviſſe Athenienſes hoc oraculo nitentes; Nepos vero Miltiadem refert, cum Cherſoneſum peteret, Lemnum acceſſiſſe, ut eius incolas ſub poteſtatem Athenienſium redigeret.

Maximam profecto difficultatem praebet quod Nepos haec omnia Miltiadi Cimonis filio tribuit, eidem quem ad Marathonem inclaruiſſe accepimus; adeo ut, quae ab Herodoto de duobus, eadem a Nepote de uno memorentur. Nam conſtat ex Herodoto VI. 34, duos fuiſſe Miltiades, quorum alter Cypſeli, alter Cimonis filius fuit. Hic illius ex fratre uterino nepos et nomen habens ab eodem patruo (Idem. VI. 103); alter conditor et tyrannus, alter, post huius et fratris Steſagorae obitum, item Cherſoneſi tyrannus (Idem. VI. 34, 38, 39), et in pugna Marathonia gloriam nactus non interituram. Hinc factum est, ut alii, ut Ravius, Boſius aliique Nepotem, alii, ut Rutgerſius Var. Lect. I. c. 9. p. 35 et 44, et Petavius Rat. Temp. III. p. 1. c. 2, Herodotum tuerentur. Non ſperno illorum operam, qui ſuum auctorem vindicent, im-

immo vero vehementer eam laudo, sed eam contemno, quae, ut huic fides concilietur, in aliorum auctoritate frangenda versatur. Quo enim argumento Ravius Nepotem suum defendit? Non alio quam quod *ex uno* Herodoto apparet Miltiadem Cypseli, non Cimonis, filium Chersonesi conditorem fuisse; perinde ac si non unus Herodotus satis valeret, quo hoc evinceretur; praesertim quum nullus alius alia nos doceat, et quum nihil in tota eius traditione insit quod repugnet; adeo, ut ne suspicari quidem possimus falsi quid subesse. Tum vero si, praeterquam ex Herodoto et Nepote harum rerum vel nullam aliam notitiam haberemus, partim quidem temporum, quibus uterque scripsit, ratio Herodotum praevalere iuberet, partim utriusque scribendi genus, cum Herodotus omnem historiam accurate et per singula enarret, Nepos autem eam verbo tantum memoret. Sed accedunt aliorum scriptorum testimonia. Marcellinus in vita. Thuc. non Miltiadem Cimonis filium, sed alium eiusdem nominis Chersonesi conditorem facit. Errat autem Ravius vehementer quum putet, Marcellinum ex Herodoto haec tradidisse, ideo quod scripsit: *εἴγε μὴ Ἡρόδοτος ψεύδεται.* Non enim animadvertit de alia plane re ibi agentem haec eum subiunxisse, scilicet de liberis Miltiadis captis, demissis tamen a Dario rege, ut tradit Herod. VI. 41.; ubi interim notandum Herodotum de uno tantum filio, Marcellinum de pluribus liberis, loqui. Quo peius scripsit Ravius, Marcellinum *eodem loco* Herodotum testem invocasse. Valckenarium vero ad Herod.

 VI.

VI. 35. non fugit Marcellinum, in re nostra, diversum ab Herodoto auctorem esse secutum. Ex Hellanico illum hausisse supra docui. Aelianus item, V. H. XII. 35. ibique Perizon. cf. ad h. l., Cimonis filium Chersonesi conditorem non refert, quamquam neque Cypseli, sed tertium his priorem; ut appareat hunc etiam alium auctorem secutum esse, non vero Herodotum, ut idem Ravius autumat. Colligo ex his, neque quempiam scriptorem, quo tandem usus sit Nepos, Cimonis filium Chersonesi conditorem retulisse, neque, sive ab his, sive ab Herodoto dissentire Nepotem *iudicio et ratione*, ut statuit Bosius. Credi enim vix potest Cimonis filium, qui ad Marathonem inclaruit, eundem Chersonesi fuisse conditorem. Qui enim? Cum, secundum probabilem temporum computandorum rationem, colonia Atheniensium, rogantibus Doloncis, Chersonesum deducta sit Ol. LVII. 4, pugna vero ad Marathonem commissa Ol. LXXII. 3, sequeretur, octogenarium circiter Miltiadem huic pugnae interfuisse, modo coniicere liceat, eum vicesimo saltem aetatis anno Chersonesum condidisse.

Quamquam intelligo ne sic quidem sublatam esse difficultatem, adversus Ravium tamen, Bosium aliosque contendo, Nepotem, si ita scripserit, ut nunc legimus, ab errore non posse excusari, si quidem similem errorem errasset eius, quo lapsus est Aristoteles, qui, teste Plutarcho, in Lycurg. init. Lycurgum legislatorem cum eo confuderat, qui primam Olympiada constituit; atque ob id notatus a Cicerone, de Rep. II. 10; sive, ut exemplum

e

e re nostra petam, eundem, quem Pausanias, qui in Eliacis, scribit, ἀνάθημα Μιλτιάδου τοῦ Κίμωνος, ὃς ἀρχὴν ἔσχεν ἐν χεῤῥονήσῳ τῇ Θρακίᾳ, πρῶτος τῆς οἰκίας ταύτης: aut quem Marcellinus, qui Stesagoram Miltiadis Cypseli filii fratrem uterinum facit, cum esset fratris huius uterini filius. Itaque ingenue aperiam quid sentiam. Miltiadem Cypseli, non autem Cimonis, filium Chersonesi conditorem fuisse, tum ex Herodoto, tum aliunde ita constat, ut ne dubium quidem ea de re moveri possit. Neque Ephorus, neque quisquam alius, ex quo hauserit Nepos, neque hic ipse Cimonis filium Chersonesi conditorem scripsit, nec scribere potuit. Coniicio vero Nepotem duas vitas conscripsisse, quarum altera Miltiadis Cypseli filii, altera Cimonis filii res gestas complecteretur, eas vero infelicem sortem passas esse, quam multa alia praestantissima opera, ut temporis iniuria partim perirent; ita quidem ut nunc initium tantum Miltiadis Cypseli filii vitae habeamus, Cimonis filii vitae initio careamus, atque haec duo lacera, sive principium unius et extremum alterius, incuria librariorum quasi consuta esse, atque adeo res in iis memoratas uni adscriptas esse. Nisi forte quis haec in dubium vocaret, quod omnes Nepotis vitae ab initio demum belli Medici exordium ducunt. Is tamen videat quantum id valeat, cum id vel ipsa res, de qua disputamus refellat, quippe quae bella Medica antecesserit. Atque haud scio an non multum fallamur, si terminum utriusque fragmenti consti-

 tua-

tiamus in capite fecundo medio post verba: *Cherfonefo tali modo conftituta.* Certe quominus illum ftatuamus in capite primo et quidem ante ea, quae de Lemno traduntur, ipfius rei temporisque ratio impedit. Sit enim Lemnus petita ab alterutro Miltiade, non vero eo modo arcesfita, quo Herodotus narrat, hoc faltem probabili iure mihi comprobare videor, non Cimonis filium id egisfe, cum ἀδυνατὸν fere tentasfet, utpote qui una navi Athenis profectus erat. Herod. VI. 39. Praeterea, quinto iam anno postquam Cimonis filius Cherfonefi tyrannidem acceperat, infulam idem fubegit (Ol. LXVII. 3. A. Ch. 505). Si igitur idem ille eam antea cum Cherfonefum petebat arcesfivisfet, vix potuisfet fcribere Herodotus VI. extr. eam captam esfe ἔτεσι κάρτα πολλοῖσι ὕστερον.

Primum itaque caput Nepotis initium continet vitae, quam Cypfeli confcripfit filii. Initio vero capitis fecundi, brevi compendio, prima huius in Cherfonefo gesta complectitur. Nam quae fcribit Nepos, Miltiadem, barbarorum copiis disiectis, loca castellis idonea communivisfe, crebras fecisfe excurfiones, tyrannum esfe creatum, eadem esfe quae tradit Herodotus VI. 36, comparatione inftituta, ftatim quidem apparet. Ea autem de Cimonis filio haud accipi posfe, etiam me non monente quisque videbit. Quid enim hic multitudinem in agris collocasfet, qui non magna cum multitudine profectus erat, aut in regione, cuius iam fuis quaeque pars fuerat asfignata? Reliqua Cypfeli filii vitae pars periit, quae probabiliter caeteras eius res complexa est;

ut

ut, eum captum esse a Lampsacenis, quos bello petivisset, iubente Croeso demissum esse, eius tandem mortem et honores ipsi a Chersonitis habitos, quae omnia enarrat Herod. VI. 37 seq.

Si autem nostra coniectura valeat duas vitas Nepotem conscripsisse, eum in principio Cimonis filii vitae ea tradidisse mihi persuadeo, quae apud Herodotum VI. 39 seq. legimus. Scilicet Miltiadem a Pisistratidis ad suscipiendam tyrannidem Chersonesum missum esse, ibi uxorem duxisse Hegesipylam Olori Thracum regis filiam, eum Scythas fugientem in exsilium abiisse, his regressis, reductum esse a Doloncis aliaque, quae quinque prioribus eius tyrannidis annis acciderunt, sive usque ad expeditionem adversus Lemnum susceptam. Adeo ut, his Nepotis more expositis, apud hunc statim subsecuta sint verba: *Lemnum revertitur, ut ex pacto* caet. Atque sic vindicavi non quidem Nepotis traditionem, ut eam nunc habemus, quod frustra tentarunt Ravius, Bosius aliique, verum ipsum Nepotem, salva fide Herodoto iure habenda. Caeterum Nepotem in hisce rebus tradendis Herodotum non habuisse auctorem, inde colligas, quod in deperdito hoc fragmento sane non scripserit, Miltiadem, post fratrem Stesagoram mortuum, huius imperium Chersonesi suscepisse, ut tradit Herod. VI. 39, nisi eum sibi ipsum non constitisse credamus, si quidem hunc post expeditionem adversus Parum frustra susceptam superstitem fuisse tradit c. 7, ubi Tisagorum eum appellat; tum quod Cares refert a Miltiade oppres-

 sos

ſos ex inſula Lemno demigrasſe, cum Herodoto auctore non his, ſed Pelasgis edixisſet, ut inſula excederent. Hephaeſtienſes autem paruisſe, Myrinaeos obſidionem pasſos esſe. Vid. Herod. VI. 140.

Maioris auctoritatis Herodotus Nepoti fuisſe videtur in ſequentibus capitibus eiusdem vitae, in quibus Miltiadis res adverſus Perſas gestas exponit: ubi ſtatim animadvertas quod Nepos ſcribit, Darium pontem fecisſe in Istro flumine, qua copias traduceret, item tradi ab Herodoto IV. 89. Eius autem pontis Regem, dum ipſe abesſet, custodes reliquisſe principes, quos ſecum ex Ionia et Aeolide duxerat, etiam tradit Herodotus, qui IV. 97, ſuadente Coa Exandri filio, Mitylenaeorum duce, hoc factum esſe narrat. Quos autem *Principes* Nepos, eos τυράννους appellat Herodotus IV. 98. *Singulis* enim, ut ante retulerat Nepos, *urbium perpetua* Darius *dederat imperia.* — *Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui potestate ſunt perpetua in ea civitate, quae libertate uſa est*, ut idem ſcribit huius vitae extr. Et Strabo, VIII. p. 476. ed. Almel., Cherſoneſi reges τυράννους dici testatur, καίπερ οἱ πλείους ἐπιεικεῖς γεγονότες. Cf. Idem. VIII. p. 587. Sed de huius vocis notione plura notare non huius est loci: adi interim Perizonium ad Aelian. V. H. II. 20. — Ne vero te moveat ex Ionia et Aeolide hos principes dixisſe Nepotem, Herodotum autem l. l. Iones ſolum memorasſe; nam ex Aeolide principes Dario adfuisſe ex alio loco Herodoti, IV. 89 conſtat,

et

et ex his Aristagoram Cumaeum inter pontis custodes fuisse scribit IV. 138. Vere autem monet Wesselingius ad Herod. IV. 98. Darium, si omnes compellaret, Ionum praecipuam habuisse rationem.

Darium rem male gessisse bene ex Herodoto tradidit; hoc enim ex tota Herodotea narratione apparet: vid. inter alia IV. 134 sq. Respexit sine dubio Herodotum IV. 133, 136, cum scriberet hoc crebros attulisse nuntios. Deinde quae addit ob id Miltiadem hortatum esse, ut pontem rescinderent, omnino hausta sunt ex Herod. IV. 136 sq.

Item in tradenda expeditione adversus Euboeam et Athenas (c. 4) Herodotum maximam partem secutus est. Inter utrumque convenit Sardes incensas causam illius expeditionis fuisse. Vid. Herod. V. 105, qui tamen hanc neque solam neque praecipuam fuisse alibi non semel indicat. Nuntio huius rei accepto, Darius tantam iram in Athenienses concepit, ut uni e ministris mandasse dicatur, quoties ipsi coena apponeretur, ter ipsi diceret: *Domine Atheniensium memento.* Haec ob oculos habuit Nepos, cum scriberet amicos Darium hortatos esse, ut Graeciam redigeret sub suam potestatem, cum huic iussui obtemperatum esse legamus apud Herodotum VI. 94. Alienum erat a Nepotis instituto omnia ad expeditionem pertinentia accurate persequi. Sufficiebat paucis ea notasse, ut ad alia, quae Miltiadem spectarent, properaret. Hinc non refert, expeditioni primum praefuisse Mardonium, Vid. Herod. VI. 43 seq., sed continuo Datin et

 Ar-

Artaphernem memorat, quos, Mardonio ab imperio remoto, suffectos esse a Rege scimus ex Herodoto VI. 94. Eandem ob caussam omittit Persas Naxum et Carystum, Euboeae urbem, sibi subegisse. Vid. Herod. VI. 96, 99. Sed statim notat, praefectos regios, classe ad Euboeam appulsa, celeriter Eretriam cepisse, omnesque eius gentis cives abreptos in Asiam ad Regem misisse. Hoc etiam Herodotus accidisse tradit et quidem secundum regis iussum. *Τοὺς ἀνθρώπους ἠνδραποδίσαντο κατὰ τὰς Δαρείου ἐντολάς.* VI. 102, cf. VI. 94. Immo mortem Dati Rex minatus erat, nisi iussui pareret, ut Plato refert, Menex. p. 240 B. ed. Serrani. Eretriensibus autem Rex sedes in terra Cissia assignavit. Herod. VI. 119. De industria paulo ante dixi Nepotem in hisce rebus *maximam partem* Herodotum secutum esse. Nam alios eum item consuluisse inde intelligas, quod alioquin non potuisset notare duces praefuisse classi quingentarum navium, ducentis peditum millibus et decem equitum, cum Herodotus peditum numerum non definiat; tantum scribens: *ἅμα ἀγόμενοι πεζὸν στρατὸν πολλόν τε καὶ εὖ ἐσκευασμένον*, sexcentas autem triremes numerans. Vid. VI. 95. Plato l. l. alia omnia. Tum hoc apparet inde, quod non tradit, quamdiu Eretria obsessa sit, sed solum notat *celeriter* eam praefectos cepisse. Haesit fortasse, utrum sequeretur Herodotum an Platonem, quum hic Menex. l. l. tertio, ille VI. 101. septimo eam die captam esse tradat. — Urbs certe venit in potestatem Persarum prodita ab Euphor-

phorbo, et Philagro Herod. l. l. cf. Pauſan. VII. 10. Memoria igitur lapſus est Strabo, quando ſcripſit, X. p. 687. *Τὴν μὲν οὖν ἀρχαίαν πόλιν κατέσκαψαν Πέρσαι, σαγηνεύσαντες, ὥς φησιν Ἡρόδοτος, τοὺς ἀνθρώπους τῷ πλήθει.* Non Herodoti ſed Platonis ei verba in mentem venerunt in Menexen. p. 240 C, aut de Leg. III. p. 698 D, quem ſecutus Diogenes Laertius epigramma habet: *εἰς Ἐρετρίας τοὺς σαγηνευθέντας*, in Platon. Segm. 56. Nollem hoc vitium latuisſet Ravium, magni autem Caſauboni ad Strabon. l. l. animadverſionem effugisſe valde miror. Non vero video Nepotem per *celeriter* Graecorum *σαγηνεύειν* expresſisſe, ut Staverenus notat ad h. l. Nam ita, credo, Nepos ſcripſit, dubitans utrum ſequeretur, an Herodotum, qui temporis, quo id accidebat, fere esſet aequalis, num vero Platonem, propter morem, quo Perſae fere in inſulanos uti ſolebant, de quo conſule Herod. VI. 31. Brisſon. de regn. Perſ., Valcken. ad Herod. III. 149., Heerenium Ideen etc. tom. I. p. I. p. 424.

In tradendis rebus ad Marathonem gestis et iis quae ad hanc pugnam pertinent, ita inter Herodotum et Nepotem convenit, ut hic illum ſecutus videatur. Nam quae Noster de Philippide Lacedaemonem misſo, de praetoribus creatis, interque hos Miltiade, de auxilio Plataeenſium caet., habet, ſumma ſunt capita, quae fuſius ab Herodoto enarrata ſunt VI. 102 ſeq. Quamquam in nullis non omnino bene eum ſecutus est. Nam quod ſcribit magnam contentionem inter duces ortam

 es-

esse, *utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieque decernerent*, hoc ab Herodoto ita quidem traditum est, ut appareat, Athenienses urbem iam reliquisse hosti obviam ituros, contentionemque inter duces exortam esse, an proelio esset confligendum, nec ne, non vero an moenibus sese defenderent. Neque sua ipse auctoritate Miltiades Athenienses permovit, ut efficias ex Nepote in verbis: *Eius enim auctoritate impulsi;* nam decem erant praetores, quorum sententiae bifariam erant divisae, sed undecimus erat Polemarchus, Callimachi Aphidraei nomine. Hunc maxime prensabat Miltiades, atque idoneis rationibus effecit, ut suae se adiungeret sententiae. Vid. Herod. VI. 108, 109. Numerum in proelio caesorum non accurate definit, quando scribit Athenienses decemplicem numerum hostium profligasse, quum, Herodoto auctore VI. 117 Persarum in hac pugna ceciderint circiter sex millia et quadringenti, Atheniensium centum nonaginta duo.

Atque ex his quidem satis intelligitur, quid et quomodo Nepos in Miltiadis vita ex Herodoto hauserit; praeter hunc alios eum in eadem vita auctores adhibuisse suis locis docebo.

In Themistocle, quamquam Thucydidem maxime secutus est, multa tamen sunt ex Herodoto hausta. Huc refero, quae capite secundo scribit de primo Themistoclis gradu capessendae reipublicae. Cf. Herod. VII. 144. Item, quod sequitur, Xerxem adversus Graeciam expeditionem suscepisse, qua Athe-

thenienses maxime peti dicerentur, cf. Herod. VII. 138, ἡ δὲ στρατηλασίη ἡ βασιλέος οὔνομα μὲν εἶχε ὡς ἐπ' Ἀθήνας ἐλαύνει, κατίετο δὲ ἐς πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα. Consuluisse ob id Athenienses oraculum, cuius responsum Themistocles interpretatus sit, cf. VII. 140, quo auctore eos sua omnia, quae moveri possent, partim Salaminem, partim Troezenem asportasse, cf. VIII. 141, arce sacerdotibus paucisque maioribus natu relicta, cf. VIII. 51. Conflixisse deinde Athenienses cum Persis ad Artemisium, cum angustias maxime quaereret Themistocles. Hinc enim Herodotus scribit VIII. 16, ὁ γὰρ Ξέρξεω στρατὸς ὑπὸ μεγάθεός τε καὶ πλήθεος, αὐτὸς ὑπ' ἑωυτοῦ ἔπιπτε, κ. τ. λ., atque hic pari utrosque proelio discessisse. Ita enim Herodot. l. l. ἐν ταύτῃ τῇ ναυμαχίῃ παραπλήσιοι ἀλλήλοισι ἐγίνοντο, qui tamen paulo post addit, longe plures et naves Barbarorum et homines periisse. Hinc Isocrates in Paneg. Graecis victoriam tribuit, et Simonides, qui eam vocat καλὴν καὶ περιβόητον, ἧς οὔθ' Ἕλλησιν, οὔτε βαρβάροις ἐνάλιον ἔργον εἴργασαι λαμπρότερον, apud Plut. in Them. p. 119, quos secutus est Aelianus V. H. II. 25.

In capite quarto eundem auctorem Nepotem habuisse inde efficitur, quod Herodoto assentitur Xerxem Athenas incendio delevisse, cf. Herod. VIII. 51; alii enim, ut Ctesias in Persicis apud Photium, cui assentitur A. Gellius N. A. VI. 17, illud negant. Legit orationem Eurybiadis apud Herod. VIII. 60; hinc enim illa verba *Themistocles unus restitit, idque* caet. Denique stra-

ſtrategema Themistoclis ex Herodoto refert. Plures eius meminerunt. Iustinus II. 12, 19, 20., Plutarch. in Them. tom. I. p. 118., Polyaenus I. 30., Herodoto VIII. 75 is, cui eius rei negotium dederat dicitur οἰκέτης δὲ καὶ παιδαγωγὸς τῶν Θεμιστοκλῆος παίδων. Nostro, *unus de ſervis ſuis quem habuit fidelisſimum.* Nomine erat Siſinnus; qua in re noster melius quam Plutarchus Herodotum ſecutus est, ſi quidem hic ſervum genere Perſam fuisſe tradit. Legit fortasſe apud Herodotum: τῶν Μήδων ἄνδρα pro τὸ Μήδων, quod referatur ad ςρατόπεδον. Quamquam non ubivis Herodoto bene uſus est. Nam ſtatim offendit illud: *primus autem gradus fuit capesſendae reipublicae bello Corcyraeo, ad quod gerendum praetor a populo factus* caet. Herodotus vero VII. 144 bellum adverſus Aeginetas memorat. Unde alium auctorem, qui perierit, ſecutum esſe nostrum autumant Boſius ad verba *primum Corcyraeos fregit* et Heuſingerus ad h. l. In quorum tamen equidem ſententiam ire non auſim. Nam primum, Themistoclem Athenienſibus auctorem fuisſe, ut bellum Aegenetis inferrent, cum Herodoto tradit Thucydides I. 14. Bellum autem adverſus Corcyraeos ne memorant quidem. Dein, nullus inter nostrum et Herodotum disſenſus, niſi in nomine gentis, in ſingulis egregie conſentiunt, ut Themistoclem ſuaſisſe, ut pecunia, quae ex metallis rediret clasſis aedificaretur. Ubi ne te moveat Herodotum *ducentas* naves, Nepotem *centum* tantum memorare, paulo enim post refert *totidem* naves deinceps ad-

additas esse. Tum, si Themistocles Athéniensibus auctor fuisset, ut bellum Corcyraeis inferrent, et hos ipse bello fregisset, an postea, cum in exsilium erat pulsus, neque satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigrasset, ea spe fore, ut benigne exciperetur? Immo aufugit ad eas, *ὢν αὐτῶν εὐεργέτης*, teste Thucydide I. 136, quia nimirum antea eorum controversias cum Corinthiis diremerat, ab illis ipsis arbiter electus. Plut. in vita p. 123. Inepte igitur hunc locum citavit Andr. Schottus, ut Nepotem tueretur, quod in illo belli inter Corcyraeos et Corinthios mentio exstat diserta, praesertim quum eandem rem ac noster, at non de Corcyraeis, sed de Aeginetis, ita memoret idem Plut. l. l. p. 113. C., ut eundem secutus videatur. Haud igitur credam alium scriptorem, quem Nepos sequeretur, diversa ab Herodoto scripsisse, nec dubitem quin Lambino assentiendum sit, *Aeginetico bello* et deinceps *Aeginetas* legendum esse putanti. Nam quod Nepos hic illic cum Herodoto, aut cum alio quovis non consentiat, non propterea iure statuas eum non hunc sed alium consuluisse, praesertim si nulla alia traditio superest. Ob eamque ipsam caussam, sit vel alium secutus, haud facile tamen pronunciaveris, utrius narratio sit verior. Eadem valent de oraculo, quod interpretatus esse Themistocles dicitur. Consulentibus satis amplum responsum reddiderat oraculum, inter alia:

Τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς,
Μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τὸ σὲ τέκνα τ᾽ ὀνήσει.

Herod. VII. 141. Cf. Schol. Aristoph. Ἱππεῖς.

vs.

vs. 1037., et Suidas v. *ἀνεῖλεν.* Addit autem Herodotus aliis visum esse, deum significare: *τὴν ἀκρόπολιν περιέσεσθαι*, aliis *τὰς νέας σημαίνειν τὸν θεὸν*, quorum sententiam confirmaverit Themistocles. Hinc autumat Staverenus ad Nepot. c. 2 ad verba *Themistocles persuasit*, alium scriptorem tum nostrum secutum esse, quum scribebat: neminem hoc oraculum intellexisse, Themistoclem autem persuasisse quo valeret; tum Aelianum, qui V. H. XII. 43.: *Θεμιστοκλῆς . . . . μόνος συνιεὶς τὰς τῶν θεῶν ἐν τοῖς χρησμοῖς φωνάς.* Sic tamen, opinor, Nepos cum Herodoto conciliandus est: ante quidem Themistoclem nonnulli intellexerunt *naves a Deo significari*, neque tamen totum oraculum ceperunt, et fluctuantibus animis fuerunt propter haec oraculi verba:

Ὦ θείη Σαλαμίς· ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν
Ἤ που σκιδναμένης Δημήτερος, ἢ συνιούσης.

Haec vero solus intellexit Themistocles, haec quomodo cum caeteris cohaererent docuit, atque sic solus totius cepit oraculi vim, quamobrem *Ἀθηναῖοι ταῦτά σφι ἔγνωσαν αἱρετώτερα εἶναι μᾶλλον ἢ τὰ τῶν χρησμολόγων.* Atque sic intelligo Nepotis verba: *id responsum, quo valeret, quum intelligeret nemo*, scilicet *plane.*

Non tamen ubivis sic Nepotem tueor, si quidem saepius auctorem suum perperam secutus est. Eo teste, post illud oraculum Athenienses omnia quae moveri poterant partim Salamina, partim Troezena asportarunt. Herodotus vero VIII. 41., qui Aeginam addidit, illud post res ad Artemisium acci-

dis-

disse refert.; Noster igitur tempora perturbavit. Errat quando in c. 4 Eurybiadem *regem* appellat. Habuit sane in hoc proelio summum imperium, Herod. VIII. 2, non tamen rex fuit Spartanorum, immo, ne ex regio quidem genere natus; Herod. VIII. 42. Discrepat item ab Herodoto, Xerxem scribens, a Themistocle persuasum, qua sex mensibus iter antea fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversum esse. Vid. Herod. VIII. 115. Caeterum animadvertendum est Nepotem Themistocli magis favere quam Herodotum. Nam ut ille hanc ei laudem tribuit, ut huius unius viri prudentia Graecia liberata sit, quod etiam agnovit Plut. p. 119, sic alia quidem Herodotus VIII. 109 extr. profert.

In vita Aristidis nostrum, cum aliis, Thucydide praesertim, Herodotum ducem habuisse, coniicias, cum hic illius aequalis esset. Singula tamen ex eo petita eo pauciora sunt, quo brevius hanc vitam conscripsit, ne scilicet, eadem quae in Themistoclis vita retulerat, repeteret, utpote cuius *aequalis fere fuit*, ut ipse statim ab initio animadvertit. Non potuit autem quin, quum Aristidis vita ipsi innotuisset, Herodoto VIII. 79 assentiretur, eum iudicanti *ἄριστον ἄνδρα γενέσθαι ἐν Ἀθήνῃσι καὶ δικαιότατον*. Quod vero hic eius moribus generatim, id Nepos abstinentiae eius tribuit: *adeo* inquit, *excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam, quod quidem nos audierimus, cognomine Iustus sit appellatus*. Hinc corrigendus Diodorus Sic. XI. 47, qui eum scripsit hoc nomen demum accepisse propter in-

institutum aerarium, cf. Wesſel. ad h. l. Subit tamen mirari, ſi abstinentia aliisque virtutibus hoc ſibi nomen Aristides concilaverit, qui tandem apud nostrum quis dici posſit Aristidi respondisſe: *ſibi non placere, quod tam cupide elaborasſet, ut praeter caeteros iustus appellaretur.* Si enim hunc titulum ſibi ipſe tam cupide quaeſivisſet, multum id eius virtuti derogasſet. Haud tamen ſcio an Nepos auctoris, quem conſuluerit, verba non bene retulerit. Quamquam non facile ſtatueris, ex quo ea hauſerit. Herodotus certe rem non memorat. Plutarchus vero alia tradit, Aristidi magis honorifica, illiteratum et rusticum hominem dixisſe ἐνοχλοῦμαι πανταχοῦ τὸν δίκαιον ἀκούων; in Aristid. p. 323, cui asſentitur Suidas. — Sexto fere anno postquam expulſus erat, populi ſcito Aristidem in patriam restitutum esſe, ſcribit Noster c. 1; addit autem (c. 2.) illud accidisſe post pugnam Salaminiam. Plutarchus vero l. l. tertio illud anno et ante hanc pugnam accidisſe, quem tuetur Scaliger ad Euſebium, No 1133. Niſi vero alium diverſum ab Herodoto ſecutus ſit, haud vereor ſtatuere, perperam Nepotem hunc conſuluisſe, cum ſcribit de Aristide: *Interfuit autem pugnae navali apud Salamina.* Narrat Herodotus VIII. 81, ante hanc pugnam Aristidem ad Themistoclem venisſe, at ſtatim reverſum esſe. Egregiam profecto navavit operam ἐν τῷ θορύβῳ τούτῳ τῷ περὶ Σαλαμῖνα γενομένῳ, ut ait idem c. 95, ſed ita ut, adſumtis multis militibus, qui in littore terrae Salaminiae erant locati, Pſyttaleam traiecerit, et Per-

ſas

ſas omnes, qui in hac inſula eſſent, interfecerit. Plutarchus l. l. Herodotum omnino ſecutus est. Ut vere monuisſe videatur Valckenarius ad utrumque Herodoti locum, Aristidem in hac pugna neque Themistocli ὑποστρατηγὸν fuisſe, neque ipſi proelio interfuisſe. Wesſelingius tamen ad Herod. VIII. 95 Nepotem tuetur.

In vitis Pauſaniae et Cimonis vestigia Herodoti fere non occurrunt; in caeteris hunc Nepos conſulere haud potuit. In libro tamen de Regibus Herodoto uſus est, ubi c. 1. ſcribit Cyrum apud Masſagetas in proelio cecidisſe. Ita enim Herod. I. 214. *Alii* autem alia tradiderunt. Cteſias in Perſicis apud Photium, Cod. LXXII, eum vulnere, in proelio adverſus Derbices accepto, occubuisſe tradit. Luciano auctore, in Macrob. c. 14, dolore confectus vitam finivit. Xenophon Cyrop. alia omnia. Diod. Sic. II. 44 alium iterum diverſum ab his auctorem habuit. In tanto disſenſu quid verius ſit haud facile apparet. Cf. Wesſel. ad Simſonii Chron. A. M. 3475 et ad Diod. l. l.

AESCHYLUS.

Etſi Aeſchylus Herodotum aetate paulo praecesſerit, poetam tamen nolui historico praeponere. Hunc autem in rebus Perſicis Nepoti auctorem fuisſe minime mirum est. Iis enim interfuit ipſe easque in tabula *Perſis* tam graphice depinxit, ut haud dubitem

quin et ipſe Herodotus eum conſuluerit. Asſentior Caſaubono, qui ad Strabonem I. p. 47 ſcribit: „Lege Aeſchyli Perſas. Multa quidem ibi ficta, „nego tamen historiam. Salaminiacae naumachiae, „quae est pars maxima belli Perſici, ab ullo „historico aut fidelius aut accuratius esſe deſcrip„tam: vel in numero navium, quanta poetae „*ἀκρίβεια?*" — Audi Nuntium apud poetam vs. 341.

Ξέρξῃ δε· καὶ γὰρ οἶδα· χιλιὰς μὲν ἦν,
Ὧν ἦγε, πλῆθος· αἱ δ' ὑπέρκομποι τάχει;
Ἑκατὸν δὶς ἦσαν, ἑπτά θ'· ὧδε ἔχει λόγος.

Nepos in Them. c. 2: *Huius enim claſsis mille et ducentarum navium longarum fuit;* omisſis ſeptem. Unde minus curioſe agere nostrum notat Stanleius. Animadvertendum tamen Nepotem rotundiore numero uti, ut alibi. Vid. in Miltiade c. 6 in verbis: *trecentas ſtatuas Demetrio Phalereo decrevit*, ibique interpr. Integrum numerum ſervavit Herodotus VII. 184, *τῶν μὲν ἐκ τῶν νεῶν τῶν ἐκ τῆς Ἀσίης, ἐουσέων ἑπτὰ καὶ διηκοσιέων καὶ χιλιέων.* Plutarchus item Aeſchyli verſus adduxit in Them. p. 119. Accuratius vero Noster Aeſchylum ſequitur, quando in Them. c. 3 ſcribit, claſsem communem Graeciae trecentarum navium fuisſe, ita enim poeta vs. 338.

. . . . . *καὶ γὰρ Ἕλλησι μὲν ἦν*
Ὁ πᾶς ἀριθμὸς ἐς τριακάδας δέκα
Ναῶν, δεκὰς δ' ἦν τῶνδε χωρὶς ἔκκριτος.

Inter has communes naves, ducentae erant Athenienſium, ut bene Nepos ex Herodoto collegit. Eo enim auctore VIII. init. primum centum viginti

ginti septem dederant, dein viginti, quas compleverant Chalcidenses, Id. ibid.; quibus postea accesserunt tres et quinquaginta, Id. VIII. 14, cf. VIII. 61; ut adeo perperam Diod. Sic. XI. 12, centum et quadraginta tantum Atheniensibus tribuat. Sed in talibus saepe variant scriptores; vid. Valcken. ad Herod. VIII. 48 et Larcher. ad eundem VIII. 46. Nepoti assentitur Plutarchus in Them. p. 117, qui Herodotum expressit. — Redeo ad historicos, inter quos nullus tanta auctoritate valuit apud Nepotem quanta Thucydides.

THUCYDIDES.

Quamquam rarissime auctores, quos secutus sit, indicet Nepos, Thucydidem tamen saepius, immo in una Themistoclis vita ter laudat, utpote cui potissimum credebat. Nec mirum, si quidem is eloquentiae gravitate, ingenii altitudine, fide, prudentia Historicorum parem habuit neminem, ut verissime indicavit[1] auctor dissertationis de Antiphonte, sive is Spalanius, sive ipse sit Ruhnkenius. Hinc pleraque in vitis Themistoclis, Aristidis, Pausaniae, Cimonis, Alcibiadis ex illo auctore desumsit. Ac statim quidem in Themistocle c. 1, de hoc dicens: *de instantibus verissime iudicabat et de futuris callidissime conjiciebat*; haec Thucydidis verba (I. 138.) expressit: *τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελ-*

λόν-

λόγτων ἐπιτελεῖζον τοῦ κτιζομένου ὅριςος εἰναςής. Praesertim vero in Themistoclis rebus post pugnam Salamineam gestis hunc auctorem secutus est. Ut, ubi agit de consilio Themistoclis triplicis portus Piraei constituendi, et murorum Athenarum restituendorum. Vid. Thuc. I. 89 et seq. ubi cap. 90, notes Lacedaemonios hoc prohibere studuisse, prae se ferentes, ne barbarus, si rursus Graeciam invaderet, ullum munitum locum haberet; qui Thucydidis locus fugiebat Gebhardum, cum ad Nepotis verba *Lacedaemonii caussam idoneam nacti* caet. scribebat, de hoc praetextu nihil alibi se legere meminisse. Quae porro c. 6 et 7 legimus, de Lacedaemoniorum legatis remissis, de legatione Themistoclis, qui praeceperit, interea omnes servi et liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent, de eius agendi ratione cum Lacedaemone erat, haec omnia ex Thucydide verbotenus prope descripta sunt. Moneo autem, initio huius loci, ad verba: *his praesentibus desierunt*, Thucydidem ita quidem non scripsisse; atque eatenus recte animadvertit Lambinus, Thucydidem *paulo aliter* retulisse. Reliqua tamen, quae ad rem magis pertinent, omnino consentiunt cum Thucydideis. Parum refert, an legatis praesentibus opus intermiserint, cum, Thucydide auctore, confestim legati demissi sint, εὐθὺς ἀπήλλαξαν. Non debebat igitur idem Lambinus scribere Themistoclis iussu eos esse detentos; quod deinceps accidit. Confudit igitur primam Lacedaemonium legationem cum altera, cum Themistocles Spartae degebat, et cuius

tunc

tunc iussu legati detenti sunt, ut scribit Thuc. I. 91 et ex eo Nepos c. 7. Est tamen locus in hoc capite in quo Nepos a Thucydide deflectat. Narrat, suadente Themistocle, tres legatos a Lacedaemoniis Athenas missos esse, qui rem explorarent, addit autem: *cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci eisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus.* Thucydide vero auctore l. l., per nuntios hoc Atheniensibus significavit, collegasque secum detinuit. Huic magis accinunt Diodorus Sic XI. 40 et Iustinus II. 15. Theopompus vero apud Plut. p. 121 Themistoclem pecunia Ephoros corrupisse prodidit.

Themistoclem Athenis pulsum esse, Aegis degisse, interim Medismi accusatum esse a Lacedaemoniis, caet., in c. 8 ex Thucydide I. 135 tradit, ita quidem, ut eiusdem verbis nonnunquam utatur; v. c. *Ibi*, (in insula Corcyra) *quum illius principes civitatis animadverteret timere, ne propter se bellum his Lacedaemonii et Athenienses indicerent.* Cf. Thuc. I. 136. In iis tamen, quae de eius ad Admetum adventum narrat, sunt qui putent, Nepotem alium quam Thucydidem secutum esse, inter quos Magius et Bosius. Quibus accedere non ausim, uti neque Stavereno putanti, verba *cum quo ei hospitium fuerat*, (inde enim difficultas) a librariis adsuta esse. Omnino Thucydidem secutus est, ut tota quidem res indicat; Sed in verbis: ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον, praetervidit negandi particulam, atque hinc factum, ut scriberet,

 cum

cum quo ei hosp. f. Talis negligentia in Nepote haud rara est. Similis eius statim sequitur: *filiam eius parvulam*, Thucydides enim τὸν παῖδα. Nisi autem Thucydidem secutus esset, non scripsisset, Themistoclem se in sacrarium coniecisse, quod item Thucydides refert, caeteri procul dubio omiserunt, siqui fuerint, qui traderent cum rege ei hospitium fuisse, cum illius rei sola caussa esset vetus inimicitia, quam sic diluere cogitaret, ut ipse Nepos paulo post addit. Sed ordo ipse rerum et verborum docet Nepotem Thucydidem ob oculos habuisse. Statim enim sequitur: *Huc quum venisset et in praesentia Rex abesset* caet, Thucydides item; καὶ ὁ μὲν οὐκ ἔτυχεν ἐπιδημῶν. κ. τ. λ. Atque sic convenit inter Nepotem et Thucydidem. Plutarchus eodem fonte usus est, ex alio tamen regis uxoris nomen indicat. Diodorum, XI. 56, alios secutum non moror. In caeteris Themistoclis fatis, plane convenit inter Nepotem et Thucydem I. 137. Immo in capite ultimo omnino est Thucydideus. Cf. Thuc. I. 180. Quo vero iure in cap. 9. Thucydidem secutus sit, ut ipse fatetur, tradentem Themistoclem ad Artaxerxem venisse, missis aliorum traditionibus (cf. Plut. p. 125.) qui, ut ipsi compertum erat, eum Xerxe regnante in Asiam transiisse retulerunt, vid. apud Alphenum, Daniel. c. 9. Part. III. 6, adversus Petavium disputantem, ut alia addere supersedeam. Epistolam Themistoclis ibid., ex Thucydide I. 137, in Latinum sermonem convertit. In qua tamen pro: *quum mihi necesse fuit* caet., melius scripsisset Nepos, *quamdiu mihi*. Thuc. ὅσον χρόνον. Dein, in ver-

verbis: *nam quum in Asiam reverti vellet ...... liberatus*, pro γράψας legit ἔγραψα, atque hinc verba Themistocli tribuit quae ipsius Thucydidis sunt. In eodem hoc loco interim attende, quam studiose prae aliis Thucydidem secutus sit, quum scripsisse Themistoclem tradat; se *litteris* regem certiorem fecisse id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, cf. c. 5, ubi tantum: *certiorem eum fecit.* Herodotus enim VIII. 110 narrat, hoc regi nuntiasse servum Sicinnum, a Themistocle missum, eundem, quem ob similem caussam antea miserat, ut supra notavi. Plutarchus autem altera illa legatione non eundem Sicinnum, sed Amacen, quemdam captivum ex regiis eunuchis missum esse refert, in Themist. p. 121 et Arist. p. 324, quocum consentit Polyaenus I. 30, vitio tamen Arsacen scribens. In fine epistolae Nepos nonnulla subiungit, quae apud Thucydidem non leguntur. Caeterum omnia, quae ex Thucydide refert, Themistoclem ad Artaxerxem scripsisse, cum in Asiam venisset, eadem ope interpretum coram rege ipsum ore pronunciasse tradit Plutarchus in vita p. 125.

In vita Aristidis non multum Thucydide usus est, respexit tamen ad eum quum de aerario Deli constituto agebat; cf. Thuc. I. 96.

Maior eius usus fuit in Pausaniae vita, quam fere ex Thucydide descripsit. Cuius rei eximium exemplum est epigramma, quod Pausanias tripodi aureo Delphis posito, inscribi curavit, quippe cuius versus apud Thuc. I. 132. egregie expressit.

Item in sequentibus: *Hos versus Lacedaemonii exsculpserunt, neque aliud scripserunt, quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persae erant victi*, Graeca expressit: Τὸ μὲν οὖν ἐλεγεῖον οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐξεκόλαψαν εὐθὺς τότε ἀπὸ τοῦ τρίποδος τοῦτο· καὶ ἐπέγραψαν ὀνομαστὶ τὰς πόλεις, ὅσαι ξυγκαθελοῦσαι τὸν βάρβαρον. Quamquam in iis, quae praecedunt, immerito reprehendit Pausaniam, *quod ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset*: ipse enim Pausanias tripodem non statuerat, sed ἀνέθεσαν οἱ Ἕλληνες ἀπὸ τῶν Μήδων ἀκροθίνιον. Thuc. l. c., cf. Herod. IX. 81.

Quae porro de Pausania tradit, qui, Cypro subacta, ad Hellespontum profectus sit, ibique Gongyli Eretriensis ope cum Xerxe egerit, huic ut Graeciam vindicaret; qui Lacedaemonem revocatus, capitis accusatus, hac poena quidem absolutus, ob privatas tamen iniurias multatus sit; qui deinceps sua sponte Lacedaemone profectus, luxuriosius vixerit; haec, inquam, omnia hausit ex Thucydide I. 94 seq., inprimis c. 128 seq.

Quamquam non ubivis ad verbum eum vertit. Quod tamen exspectares potissimum in Pausaniae litteris ad Xerxem missis, si quidem Thucydidem ibi nominatim laudavit. Nam, praeterquam quod Nepos tertia persona perpetuo utitur, Thucydides autem semel tantum, Thucydidis hoc: σοὶ χαρίζεσθαι βουλόμενος ἀποπέμπει, liberius vertit: *tibi muneri misit*. Verba: *postquam propinquos tuos cognovit*, omisit Thucydides, qui solum scripsit τοὺς δέ· caetera addere non necesse erat, cum hoc referendum

sit

fit ad praecedens: *βασιλέως προσήκοντές καὶ ξυγγενεῖς*, quos Nepos paulo ante item memorarat. Desunt etiam: *seque tecum affinitate coniungere cupit*, quae nec requiruntur, cum idem intelligatur sub *γνώμην ποιοῦμαι .... θυγατέρα τε τὴν σὴν γῆμαι.* Denique per: *se* (in nonnullis Edd. legitur *te*) *adiuvante*, non expressit illud: *μετὰ σοῦ βουλευόμενος.* Sic credo melius Thucydidem expressisset: *Pausanias, Spartae dux, tibi gratus esse cupiens, hosce, quos armis cepit, tibi remittit. Et meditor, si tibi item videtur, filiam tuam ducere uxorem, et Spartam reliquamque Graeciam sub tuam potestatem redigere. Posse mihi videor haec peragere, si tecum consilia ineam. Quod si quid horum tibi arrideat, age mittas virum certum ad mare, per quem in posterum colloquemur.*

In temporum notatione Nepos non omnino bene secutus est Thucydidem, quando c. 2 et 3 scribit, Pausaniam, cum responsa a Rege accepisset inque suspicionem cecidisset Lacedaemoniorum, domum revocatum esse, et postea reversum eo modo vixisse, quo scribit c. 3, in verbis: *non enim mores patrios* caet. Nam secundum Thucydidem, c. 130 seq., haec eodem omnia tempore acciderunt, et his demum perpetratis, revocatus est; deinceps vero Spartam reliquit, primumque reverti noluit, postea tamen, ne suspectus esset, iterum Spartam rediit. Sic autem Thucydidem esse intelligendum ipse quidem ordo, quem secutus est, indicat, atque ita intellexit Scholiastes, qui ad c. 130 scripsit, *ταῦτα πάντα ἐν τῇ πρώτῃ*

 παρ-

παρουσίᾳ ἐπράχθη, et paulo post ad c. seq. ἐντεῦθεν ἡ παρουσία δευτέρα. Nepos igitur verba: *non enim mores . . . . . . imperabat*, statim subiungere debuisset iis, quae de consiliis cum rege agitatis notaverat c. 2, si quidem Thucydidem rite sequi voluisset. Sum tamen propensior ut credam, haec omnia a librariis esse confusa, praesertim, quod verba Nepotis ita possint collocari, ut egregie Thucydideis accinant. Quid enim si ita collocentur? *Huius Pausanias voluntate cognita alacrior ad rem gerendam factus* [*est*]. *Non enim mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit. Apparatu regio utebatur, veste Medica; satellites Medi et Aegyptii sequebantur; epulabatur more Persarum, luxuriosius quam qui aderant perpeti possent; aditum petentibus non dabat; superbe respondebat, et crudeliter imperabat. In suspicionem cecidit Lacedaemoniorum. In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur; multatur tamen pecunia: quam ob caussam ad classem remissus non est. At ille, post non multo sua sponte ad exercitum rediit, et ibi non callida, sed dementi ratione, cogitata patefecit. Spartam redire nolebat. Colonas*, caet. Nescio an audacius sit statuere, ita scripsisse Nepotem, ita tamen eum debuisse, certe si Thucydidem sequi voluisset, non facile quis diffitebitur, cum sic levi μετάθεσει, ita cum Thucydide consentiat, ut hunc exscripsisse videatur.

In sequentibus cum notat, qua fuerint Spartani sollicitudine, ne Pausaniam prehenderent, nisi de e-

eius facinoribus certi essent, egregie inter Nepotem convenit et Thucydidem I, 132. Quod vero deinceps scribit Argilium quemdam, Pausaniae quondam amasium in fanum Neptuni, quod Taenari erat, aufugisse, inque ara consedisse; hanc iuxta locum factum esse sub terra, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio, id aliter legimus apud Thucydidem; quo auctore aufugit quidem Argilius supplex, sed σκηνησαμένου διπλῆν διαφράγματι καλύβην: ut assentiar Wesselingio ad Diod. XI. 45, ex alio haec nostrum sumsisse auctore. Item, quod scribit de matre Pausaniae, quae ad *filium* claudendum lapidem ad introitum aedis attulerit. De hac enim re Thucydides tacet. Rei meminerunt Scholiastes ad Thuc. I. 134, ubi Alcitheae nomine venit. Diod. Sic l. l., Schol. ad Aristoph. Ἱππεῖς vs. 84; ubi Ἀλκαθέα et Suidas in Παυσανίας, ubi Ἀγχιθέα dicitur, Plutarchus et Chrysermus apud Stobaeum XXXVIII, qui tamen illud factum patri tribuunt.

Sepulturam Pausaniae Nepos refert ex Thucydide I, 134; cuius verba vertit; ubi tamen male legitur *procul ab eo loco*, melius scripsisset *non procul*, sive *prope*, habet enim Thucydides ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι. Alia omnia Aelianus V. H. IV. 7, Timaeum secutus. Nam Ἐπιτίμαιος scribendum esse, quo nomine fere a veteribus designabatur, non vero Ἐπιτιμήδης, omnia iubent. Vide Interpretes ad h. l.

In Cimone c. 2. Nepos, Thucydide auctore, tradit, Cimonem imperatorem fuisse ad flumen Strymonem, et coloniam Amphipolin de-

du-

duxisse. Vid. Thuc. I. 98 seq. Notandum interim nostro hanc coloniam decem fuisse millia Atheniensium, cum Thucydides scribat μυρίους οἰκήτορας αὐτῶν καὶ τῶν ξυμμάχων. Eum proelio tum navali tum pedestri eodem die Persas vicisse, Nepoti auctor fuit Thucydides, quod vel ex numero navium, apud utrumque eodem, efficitur. Perperam autem scribit ad Mycalen hoc accidisse, quod nullus scriptor memoriae prodidit: evenit vero ad flumen Eurymedontem, ut tum ex Thucydide apparet, tum ex Callisthene apud Plut. in Cimon. p. 486. Idem Callisthenes paulo post refert ex Cypro eo advenisse naves Phoenissas, quae cum Graecis dimicarent, atque his fortasse deceptus Nepos tradidit Cimonem devicisse classem *Cypriorum* et Phoenicum navium; Thucydides enim Cyprias haud memorat. Caeterum, quae de redactis Scyro et Thaso notat, habet ex eodem Thucydidis loco. Potest tamen quaeri, an temporum ordinem rite servaverit, cum alio ordine a Thucydide haec collocata inveniamus.

Eundem adiisse videtur in tradenda Cimonis expeditione adversus Cyprum. Adsentitur Thucydidi I. 112, quod Cimon non sua auctoritate profectus est, sed ipsorum Atheniensium; nam hi ipsi bellum intulerunt. Hoc notandum, quia alii auctores, quos secutus est Plutarchus p. 490, scripsisse videntur, sua id Cimonem auctoritate fecisse, ita enim Plut.: γενομένης δὲ εἰρήνης, ὁρῶν τοὺς Ἀθηναίους ἡσυχίαν ἄγειν μὴ δυναμένους, ἵνα μὴ τοῖς Ἕλλησι διοχλῶσι . . . . . . πλήρου διακοσίας τριή-

τριήρεις εἰς ἐπ' Αἰγύπτου καὶ Κύπρου αὖθις ἐπαναγενόμενος. Inter Nepotem et Diodorum XII. 3. convenit. Deflectit autem a Thucydide, quum Cimonem in oppido Citio mortuum esse memorat. Hic enim l. l. refert, Cimonem vita functum esse, quum hanc urbem obsidebat, cui plerique adsentiuntur, teste Plutarcho p. 491. Cum nostro facit Diodorus l. l. De genere mortis Thucydides tacet. Morbo implicitus mortuus dicitur a Nepote, a quo non dissentit Scholiastes Thuc. l. l. qui αὐτομάτῳ θανάτῳ eum mortuum refert. Alii ex vulnere, volunt, quod pugnans cum barbaris acceperit. Plut. l. l.

In Alcibiade Nepotem multa ex Thucydide hausisse minime mirum est. Si quidem ille medio bello Peloponnesiaco floruit maxime et quanquam ancipiti et dubio animo, talis tamen dux fuit, cui neque Athenienses facile anteponerent, neque Lacedaemonii opponerent, quemquam. Eius consilio et auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt, ad quod gerendum ipse dux electus est. Ita Noster scripsit ex Thucydide VI. 15, tum vero respexisse videtur ad Alcibiadis orationem, in qua vehementer adversus Niciam disputans illam expeditionem suasit. Eodem fonte usus est in iis, quae de Hermis deiectis tradidit, cuius rei Alcibiadem insimulabant, deque mysteriis, quae hic in domo sua fecerit. Eadem enim refert Thucydides VI. 27, 28, 53, 60, 61. In ea tamen re alios item consuluit. Unam enim statuam, quae esset ante ianuam Andocidis, inte-

tegram mansisse, Thucydides non memorat. Alios autem bene multos hac in re consulere potuit, inter quos facile principem Andocidem in Oratione de mysteriis aliosque, quos citavit Sluiterus V. Cl. in Lect. Andocid., cuius etiam docta disputatio de Hermis me breviorem esse sinit. Animadverte interim male Nepotem scripsisse Hermas *deiectos* fuisse, cum veteres omnes, quando facti huius meminerunt, illud *περικοπὴν* vocent, ut Thuc. VI. 27, *περιεκόπησαν τὰ πρόσωπα*; cf. Staverenus ad Nepot. Sluiterus, l. l. p. 50.

Alcibiades harum rerum suspectus postulabat, ut, siquid de se agi vellent, potius de praesenti quaestio haberetur, quam absens invidiae crimine accusaretur. Exspectarunt tamen inimici tempus quo exiisset, ut sic absentem aggrederentur. Ita Nepos refert, c. 4, omnino ex Thucydide VI. 29. In laudibus, quas Alcibiadi tribuit, in universum Thucydidem Nepotem secutum esse omnino patet, quod et ipse fatetur, c. 11, cui adiunxit Theopompum et Timaeum, ut ibi videbis.

XENOPHON.

Atque haec vestigia Thucydidis in Nepote deprehendimus; venio ad Xenophontem. Hic germanus Socratis discipulus, huiusque praeceptis imbutus mira suavitate, et nativa facilitate res conscripsit, quarum aequalis fuit, quarumque multis in-

interfuit ipse, ut ex eo tanquam puro fonte histotiam tibi haurire videaris. Quamquam in Hellenicis, opere sanequam egregio, has dotes nonnunquam desideramus. Deest subinde illa copia et vigor, quos in caeteris eius scriptis miramur, nisi ubi de Agesilao et Spartanis agit. Res autem summorum Atheniensium virorum leviter fere tanguntur. Ut haud mirum sit, nostrum etiam in illis rebus, quae Xenophontis aetate evenerunt, alios praeter hunc consuluisse, et nonnunquam, relicto Xenophonte, eos secutum esse. Sic, ubi Alcibiadis in patriam reditum memorat (Alcib. c. 6.), consuluisse quidem Xenophontem (Hell. I. p. 439, ed. Leunclav.) apparet, cum tamen pleraque a Nepote tradita apud illum non occurrant, Ephorum potius et Theopompum eum secutum esse crediderim. Hi certe eam rem memoriae prodiderunt, ut constat ex Plutarchi Alcib. p. 209. Discrepat vero a Xenophonte, quando scribit, c. 7, Alcibiadi absenti magistratu abrogato, *alium* in eius locum substituisse Athenienses; nam Xenophon Hell. I. p. 442, decem creatos refert, inter quos Cimonem, et sic Diodorus XIII. 74, et Plutarchus p. 211, ἑτέρους εἵλοντο στρατηγούς. Quamvis non dubitem, quin alii Cimonem solum memorarint, quos secutus est Iustinus V. 5, 6.

In vita Thrasybuli, cuius res quamquam egregie exposuit Xenophon, ei tamen Nepos non admodum adhaesit. Quae de Athenis refert Thrasybuli opera a triginta virorum tyrannide liberatis, generatim quidem cum Xenophonteis congruunt, immo nonnul-

nulla ex eo verbotenus desumta sunt. Ut cap. 2, ubi de Thrasybulo dixit: *Neminem iacentem veste spoliavit, nil attigit, nisi arma.* Quae Xenophon II. p. 475. sic expressit: καὶ τὰ μὲν ὅπλα ἔλαβον, τοὺς δὲ χιτῶνας οὐδενὸς τῶν πολιτῶν ἐσκύλευσαν. In aliis tamen a Xenophonte recedit. Nam cum hic, II. p. 470, Thrasybulum cum septuaginta de suis Phylen occupasse refert, noster solum triginta memorat. Dein ille, II. p. 474. Critiam et Hippomachum, noster unum Critiam de triginta viris occisum esse tradit. Tum c. 3, decem viros, qui liberatis Athenis Thrasybuli opera praetores creati sunt, errore confudit, cum decem viris Piraeei, quos Xenophon memorat. Errorem notarunt Valesius, Emend. I. 33. Taylorus, Vit. Lys.; nec praetermisit eruditissimus iuvenis mihique amicissimus Brinkius, in accurata et docta commentatione de Athenis sub XXX tyrannis, praemio ornata, p. 45. No. 1.

Neque in Conone admodum Xenophonte usus est. Convenit sane inter hunc et Nepotem in nonnullis; ut, quae apud hunc c. 1. legimus Cononem abfuisse, cum apud Aegos flumen copiae Atheniensium a Lysandro devincerentur, cf. Xenophon. Hell. II. p. 456. Eadem tamen res ex aliis item scriptoribus est manifesta, quos secutus videtur Diodorus XIII. 106. Quo minus audiendus est Lambinus, cum putaret nostrum ea in re aliorum traditionibus adversari. Ut igitur ex hoc exemplo haud appareat nostrum Xenophontem fontem habuisse; cum in aliis omnino ab eo recedat, ut quan-

quando in eodem capite refert Cononem unum omnibus insulis praefuisse, qua de re ne verbum quidem apud Xenophontem. Tum quando memorat Cononem in ea potestate Pheras cepisse; ex eius enim narratione efficitur, illud accidisse ante exactum bellum Peloponnesiacum; ex Xenophonte vero II. p. 536. apparet, eum Pheras occupasse, cum ex Asia reversus erat. Obiter moneo, non Theram, ut voluit Rutgersius, Var. Lect. IV. 10., sed Pheram, sive potius Phaeram, esse legendum, quae Messeniae pars est. Vide Strabon. VIII. p. 565. Pheram autem Thessaliae, de qua Stephanus Byz. h. v., ne cogites. Vide tamen interpretes ad h. l.

Item pugna inter Nepotem et Xenophontem, ubi in Conon. c. 3. tradit, Tissaphernis opera Artaxerxem fratrem Cyrum superasse. Quod quidem aliter a Xenophonte, tum in Anabasi l. I., tum Hellen. III. p. 501. traditur. Ea in re nostro assentitur Diodorus XIV. 23, ut uterque adeo alium, nescio quem, scriptorem secutus sit. Dinonem certe, aut Ctesiam, eos non secutos esse inde apparet, quod Plutarchus in Artaxerxe p. 1016 seq. alia ex his scriptoribus tradidit. Tum, secundum Xenophontem, non Conon apud regem Persarum Tissaphernem accusavit, ut Nepos scribit, sed illo auctore hoc ipsi fecere Persae, quam ob rem rex, misso Tithrauste, ei caput abscindi iussit; vid. Xenoph. l. l. et in Agesilao p. 657. Quae tamen c. 4. tradit de Lacedaemoniorum classe sub Pisandro, a Conone ad Cnidum devicta, deque

 hu-

huius rebus postquam Athenas venisset, non dissentiunt a Xenophonteis. Vid. Hell. IV. 518 et 537.

Tradit Noster in Iphicrate c. 2., hunc bellum cum Thracibus gessisse, Xenophon autem Hell. IV. 542. eum adversus Anaxibium in Hellespontum missum esse, et Aeschines, de falsa legat. princ. Amphipolin nuncupat; crediderim igitur ad utrumque respexisse Nepotem.

Alia in eadem vita loca sunt, quae nisi ex Xenophonte hausta sint, tamen cum hoc scriptore optime consentiunt. Ut, ubi memorat Iphicratem moram Lacedaemoniorum intercepisse; vid Xenoph. Hell. IV. 528., cf. Plut. in Agesilao p. 607; tum ubi Iphicratem subsidio Lacedaemoniorum profectum esse; cf. Hell. VI. extr.

Xenophontem secutus, in Chabria c. 2. scribit, hunc publice Euagorae adiutorem datum esse. Sic enim ille Hell. V. p. 546: μετὰ ταῦτα Χαβρίας ἐξέπλει ἐς Κύπρον βοηθῶν Εὐαγόρᾳ. Ut mirer Lambinum ea de re nihil repetisse, praeter id, quod est apud Diodorum XVI. 42. Ubi tamen cum eum offendat, quod ibi Phocion pro Chabria memoratur, id aut errore factum esse censet, aut alium illum scriptorem esse secutum. Diodori tamen locus de alia re agit; cf. Bosius ad h. l. Nepotis et Wessel. ad Diod. l. l. Item Xenophonte usus est, quando in Timotheo c. 2. tradit, hunc praefectum circumvexisse Peloponnesum et Corcyram sub imperium Atheniensium redegisse. Ita enim Xenophon Hell. V. extr.: ὁ μέντοι Τιμόθεος περιπλεύσας, Κέρκυραν μὲν εὐθὺς ὑφ᾽ ἑαυτῷ ἐποιήσατο.

In

In sequentibus tamen, sive quod brevitati nimium studet, sive alios ob causas, ab eo deflectit. Ex eius enim narratione merito efficeres, insula subacta, statim pacem inter Lacedaemonios et Athenienses factam esse, ea lege, ut imperii maritimi principatus his concederetur. Alia vero interim acciderunt. Nam, Xenophonte auctore Hell. VII. 584., pax quidem facta est inter eos post subactam Corcyram, et post eam eximii Timotheo tributi sunt honores, quorum meminit Aeschines Or. adv. Ctesiph. haud procul a fine: non tamen haec eadem fuit pax, quam noster memorat. Pace enim a Timotheo violata, insulam denuo Lacedaemonii duce Mnasippo Atheniensibus eripuerunt. Interim cum classe mittitur Timotheus, cui tamen, quum tempus ad navigandum frustra conterere videretur, imperio abrogato, Iphicrates suffectus est. Xenoph. Hell. VI. p. 585. cf. Demosthen. Or. in Timoth. Iphicrate autem duce, Lacedaemonii e Corcyra fugati sunt, atque tunc demum pax est composita. Xenoph. Hell. VI. p. 593. Quod vero ibidem subiungit Nepos, victoria reportata, *tunc primum* aras publice esse factas, id adversatur testimonio scriptorum, ex quibus Plutarchus memorat in Cimone p. 487, iam antea, post victoriam ad Eurymedontem a Cimone reportatam, aram erectam esse.

In Agesilao plurimum Nepos Xenophontem secutus est. Quod quidem intelligitur, cum statim initio ipse referat, Agesilaum cum a caeteris, tum

eximie a Xenophonte Socratico collaudatum esse. Respicit autem eius Hellenica, tum vero eius librum *de Agesilao rege*, sive huius ipse Xenophon, sive alius est auctor. Non enim me fugit, quod Valckenarius V. Cl., quo, si de coniecturis quaeras, vatem veriorem vix reperias, Xenophontis hoc esse opus negaverit, cui tamen non assentitur Schneiderus in descript. encom. Agesilai caet. p. 267. Ut ut sit, pauca apud Nepotem inveniuntur, quae non in Xenophonte quoque legas. Ut, Leotychiden cum Agesilao de regno contendisse, suffragante tamen Lysandro, Agesilaum antelatum esse. Nepos Agesil. c. 1., cf. Xenoph. Hell. III. 493. Agesil. init. Deinde Agesilaum in Asiam a Lacedaemoniis esse missum, ibique, rogante Tissapherne, cum hoc inducias fecisse, quas ipse constanter observarit, Tissaphernes vero violaverit. Nepos c. 2. cf. Xenophon Hell. III. p. 496. Agesil. p. 652.; quae quidem ita consentiunt, ut nonnulla verbotenus descripta videantur.

Item, in c. 3, ubi Agesilai res in Asia gestas exponit, secutus est Xenophontem Hell. III. p. 499 seq. Agesil. p. 654. Moneo tamen Nepotem scripsisse, eum Ephesum reduxisse hiematum exercitum, et dein copias extraxisse ex hibernaculis, cf. Diod. Sic. XIV. 79.; cum Xenophon utroque loco scripserit: ἐπειδὴ ἔαρ ὑπέφαινε. Quae deinceps scribit (c. 4.), de Agesilai pietate, in obtemperando magistratibus, qui domum eum arcessiverunt, conspicua, de eius reditu per Hellespontum, maxima celeritate confecto, de proelio, quo Athenien-

nienses, Boeotios eorumque socios ad Coroneam fuderit, deque eius clementia, qua noluit hostes, qui in templum aufugisſent, violari, haec omnia Xenophontea sunt; vid. Hell. IV. p. 513, 517 seq., Agesil. p. 657. Quae vero ad calcem huius capitis subiungit: *Neque vero hoc solum in Graecia fecit, ut templa Deorum sancta haberet: sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra arasque conservavit. Itaque praedicabat, mirari se, non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus eorum nocuissent, aut non gravioribus poenis affici, qui religionem minuerent, quam qui fana spoliarent*, in iis inquam expressit verba in Agesilao p. 672. Ἀγησίλαος μὲν ἱερὰ καὶ τὰ ἐν τοῖς πολεμίοις ἐσέβετο, ἡγούμενος τοὺς θεοὺς οὐχ ἧττον ἐν τῇ πολεμίᾳ χρῆναι, ἢ ἐν τῇ φιλίᾳ, συμμάχους ποιεῖσθαι. Ἱκέτας δὲ θεῶν οὐδὲ ἐχθροὺς ἐβιάζετο, νομίζων ἄλογον εἶναι τοὺς μὲν ἐξ ἱερῶν κλέπτοντας, ἱεροσύλους καλεῖν, τοὺς δὲ βωμῶν ἱκέτας ἀποσπῶντας εὐσεβεῖς ἡγεῖσθαι. Ex hoc autem loco Nepotem corrige, et pro *supplicibus eorum* repone *supp. Deorum*. Sit autem vera Valckenarii sententia, librum de Agesilao rege non germanum esse Xenophontis, hoc tamen apparet eius auctorem fuisse satis antiquum, cui Nepos fidem haberet. Fateor multa esse in Agesilao, quae in Hellenicis quoque reperias: at cum hic locus ex Agesilao omnino sit desumtus, in Hellenicis autem non inveniatur, ipseque Nepos initio non obscure fateatur, se Xenophontem esse secutum, illudque multis rebus et exemplis ostendat, credi-

derim Nepotem hunc librum ipſi Xenophonti tribuiſſe. Cicero ſaltem Xenophontis hoc eſſe opus minime addubitavit, ſi quidem in Epist. ad Lucceium V. 12. ita ſcripſit: *Unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium ſtatuasque ſuperavit;* in quibus non ad Hellenica, ſed omnino ad Ageſilaum respexit. Alius est locus in Ageſilao, p. 668 ſeq. in Hellenicis non obvius, ubi Ageſilai erga Graeciam univerſam amorem exemplis probat, quem locum fere deſcripſit Nepos c. 5., itemque expreſſit Plutarchus in Ageſil. p. 604. Dubitari tamen potest, an Ageſilaus pugnae, quae circa Corinthum accidit, interfuerit, quod ex Nepote efficias, ubi ſcribit: *Hic quum una pugna decem millia hostium* Ageſilao duce *cecidiſſent;* cum Xenophon l. l. et, qui eum ſecutus est, Plut. l. l. ſcribant, Ageſilaum huius rei nuncium accepiſſe. Generatim Xenophon l. l. et eius verba premens Nepos in hoc capite ſtuduiſſe videntur, ut Ageſilaum macula liberarent, qua nonnulli eum notarunt. Aliis enim habebatur φιλοπόλεμος, qui τῆς τῶν Ἑλλήνων δυνάμεως ἀντείχετο, ut videas ex Diodoro XV. 19. Cave vero ne in hac vita nimium auctoritatis Nepoti tribuas, eamque lege percaute. Nam pleraque ex Xenophonte hauſit, qui quam eius fuerit ſtudioſus, notum est. Hoc tum in aliis teneas, tum quando c. 6. ſcribit, Talem ſe praebuiſſe Ageſilaum, quum Epaminondas Spartam oppugnabat, ut eo tempore omnibus apparuerit, niſi ille fuiſſet, Spartam futuram non fuiſſe, quod etiam Xe-

Xenophon agnovit: *καὶ εἰ μὴ Κρὴς θείᾳ τινὶ μοίρᾳ προσελθὼν ἐξήγγειλε τῷ Ἀγησιλάῳ, προσιὸν τὸ στράτευμα, ἔλαβεν ἂν τὴν πόλιν, ὥσπερ νεοττιὰν, παντάπασιν ἔρημον τῶν ἀμυνουμένων.* Hell. VII. p. 643. Alii enim eandem gloriam non Agesilao sed Agidi tribuerunt, ut Theopompus et Anaximenes, quos secutus est Diodorus XV. 82. Wesselingius tamen Vir. Cl. Xenophontem vindicavit; cuius docta disputatio, qua docuit, apud Diodorum pro Agide legendum esse Agesilaum, non parum me movit, cum hic non ille id temporis rex esset Spartanorum ex Proclidarum gente. Vide eum ad *Diod.* l. l. et ad c. 83. Plutarchus in Agesil. p. 614 seq. Xenophontem sequitur.

PLATO.

Insigni quoque apud Nepotem auctoritate valuit Plato. Eius Menexenum Nepotem legisse et consuluisse in Miltiadis vita, supra ad Herodotum indicavi. Quando in Cimone c. 2. huius ingenii dotes laudat, *quod habebat satis eloquentiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam cum iuris civilis tum rei militaris*, nescio an Platonem respexerit, qui Theag. p. 126. ed. Serrani, Cimonem inter illustres in civitate viros, qui in re publica administranda excelluerunt, recenset, eumque cum Themistocle et Pericle coniungit. In Alcibiade vero Nepos in multis Platonem secutus est

est, in iis praesertim, quae ad Alcibiadis adolescentiam pertineant. Nec mirum, si quidem Plato Socratem saepius aut cum illo, aut de illo loquentem facit, ut adeo e primario fonte hausisse videatur, cum a Socrate eruditus sit Alcibiades, ut scribit Nepos c. 2, quod item multis in locis indicat Plato, cui assentitur Xenophon Mem. I. p. 713, quamquam ipse Socrates apud Platonem in Apolog. negat, se quemquam discipulum habuisse. Paulo post Platonem nominatim citat, quippe qui in Symposio Alcibiadem induxerit commemorantem, se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit. Locus Platonis est Sympos. p. 217 seq. ubi 219. Alcibiades: *εὖ γὰρ ἴστε*, inquit, *μὰ θεοὺς, μὰ θεὰς, οὐδὲν περιττότερον καταδεδαρθηκὼς ἀνέστην μετὰ Σωκράτους, ἢ εἰ μετὰ πατρὸς καθηῦδον, ἢ ἀδελφοῦ πρεσβυτέρου.* Ipse Socrates fatetur se Alcibiadis amatorem fuisse; vid. Platon. Alcib. 1. init.

Praesertim vero Platonis scriptis usus est Nepos in vita Dionis, cuius cum Plato aequalis et amicus esset, non potest quin maxima hinc auctoritas Nepoti accedat. Epistolae in primis Platonis magno ei erant subsidio, inter quas eminet, septima *τοῖς Δίωνος οἰκείοις τε καὶ ἑταίροις* scripta. Ex ea novit Nepos Dionis *ingenium docile, come, aptum ad artes optimas.* Ita enim ille Ep. VII. p. 327. *Δίων μὲν γὰρ δὴ μάλ' εὐμαθὴς ὢν, πρός τε τἄλλα καὶ πρὸς τοὺς τότε ὑπ' ἐμοῦ λόγους λεγομένους οὕτως ὀξέως ὑπήκουσε καὶ σφόδρα, ὡς οὐδεὶς πώποτε ὧν ἐγὼ προσέτυχον νέων.* Quam vero Ne-

Nepos c. 6. acerbitatem ei tribuit, qua in re ei assentitur Plutarchus in Dione p. 961, eandem Plato reprehendit ita: *μὴ οὖν λανθανέτω σε ὅτι διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ πράττειν ἐστίν· ἡ δ' αὐθάδεια ἐρημίᾳ ξύνοικος.* Epist. IV. extr.

Non tamen Platonem ubivis bene secutus est. Scribit enim c. 2. de Dionysio maiore, hunc, quum Platonem Tarentum venisse fama in Siciliam esset perlata, adolescenti (Dioni) negare non potuisse, quin eum arcesseret, magnaque ambitione Platonem Syracusas deductum esse. Primum enim non arcessitus Syracusas venit, sed sua sponte, immo *ἴσως μὲν κατὰ τύχην*, ut ipse Plato testatur Ep. VII. p. 326, sive ut Plutarchus scribit in Dione p. 959. *θείᾳ τινὶ τύχῃ*. Dein non magno fastu splendidoque apparatu Syracusas venit. Ita autem intelligo Nepotis *magna ambitione*, quibus eadem denotare voluisse videtur, ac Plutarchus refert ex suo auctore (Timaeo fortasse, Plato certe haec non memorat), primo eum adventu eximia comitate et honore exceptum esse. Regium enim currum splendide cultum e navi egredienti praesto fuisse; vid. in Dion. p. 963. cf. Plinius Hist. Nat. VII. 30. Hic vero honos ei non a Dionysio maiore sed a minore habitus est, cum ab hoc Athenis arcessitus esset, ut omnino apparet ex Plutarcho. Ter enim in Siciliam venit, semel sub maiore, bis sub minore Dionysio, ut ex ipso Platone cognoscitur; vid. Ep. VII. cf. Diog. Laert. Plat. Segm. 32 sq. Ut haud dubitem, quin duo priora Platonis itinera confuderit Nepos, quaeque

ad alterum pertinerent, ea ad prius retulerit. — Item a Platone recedit, quum c. 5. scribit Heraclidem expulsum esse a Dionysio et Corinthum perfugisse: is enim, Platone auctore VII. p. 349, Dionysium metuens aufugit inque Carthaginiensium ditionem se recepit. Ex Diodoro et Plutarcho non comperi alios scriptores alia retulisse. In iis contra, quae c. 3. tradit, Platonem tanta apud Dionysium auctoritate valuisse, ut ei persuaserit tyrannidis facere finem libertatemque reddere Syracusanis, vide an respexerit ipsum Platonem ad Dionysium scribentem, Ep. III.

Scio, omnia, quae citavi Platonis opera, Symposio excepto, ab hodiernis criticis nonnullis, in Germania potissimum, Platoni abiudicari. Horum tamen sententiam examinare huius loci non est. Nobis sufficit eadem de his, quae de Agesilao Xenophontis, animadvertisse; eorum auctorem, sive is ipse Plato fuit, sive alius, certe satis antiquum fuisse, cui Nepos crederet: neque probabili ratione statui posse, Nepotem eorum auctorem Platonem non agnovisse. Cicero certe praeclarae epistolae illius ad Dionis propinquos Platonem auctorem habuit, Tusc. Quaest. V. 35.

THEOPOMPUS.

Magno prae caeteris Nepoti usui fuit Theopompus Chius, qui Philippi Macedonis aetate vixit et Iso-

Isocratis discipulus fuit. Multa ſcriptitavit, inter quae eminebant duo palmaria opera historica. In altero historiam Thucydidis continuavit, et ab eo, ubi hic deſierat, res Graecas per ſeptemdecim annos gestas, ſive ad proelium navale ad Cnidum conſcripſit, duodecim libris. Vid. Diodor. VIII. 42. XIV. 84. Altero, quod Φιλιππικά inſcribitur, Philippi res gestas perſecutus est. Libris quinquaginta et octo hoc opus continebatur, ut cognoscitur, tum ex aliis, tum ex Diodoro XVI. 3., eorumque ſinguli a variis auctoribus, Athenaeo praeſertim, ſaepius citantur. De hoc inprimis opere egit Heerenius, de font. Iust. (novi comm. Gott. XV. p. 194.), deque Theopompi vita et ſcriptis disſeruit Pflugkius, Berol. 1827. Haec nos alias uberiore disputatione perſecuturi, nunc ea tantum adiiciemus, quae praeſenti inſtituto ſufficiant. Non inter omnes convenit de virtute Theopompi fideque historica. Dionyſius Hal. in Ep. ad Cn. Pompeium dignum eum iudicavit, qui laudibus in coelum ferretur, ob eius in primis in ſcribendo diligentiam et ſtudium, cum ad id multum apparatum impenderit, et colligendis rebus maximos ſumtus fecerit. Maximam ei auctoritatem tribuit Athenaeus III. p. 85. Caſaub. εἴ τις, inquit, τούτοις ἀπιστεῖ, μαθέτω καὶ παρὰ Θεοπόμπου τοῦ Χίου, ἀνδρὸς φιλαλήθους καὶ πολλὰ χρήματα καταναλώσαντος εἰς τὴν περὶ τῆς ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆ. Plutarchus vero in Lyſandro p. 540. praecepit: τῷ Θεοπόμπῳ μᾶλλον ἐπαινοῦντι πιστεύσειεν ἄν τις, ἢ ψέγοντι· ψέγειν γὰρ ἥδιον ἢ ἐπαινεῖν. Nostro in

in Alcibiad. c. 11. *maledicentissimus* dicitur. Ut quantum valeant, quae ex hoc scriptore hauserit, facile videas. Nempe multum. Si quidem ex inde apparet, fieri haud potuisse, quin Nepos caute eius scriptis usus sit, iis praesertim, quae in virorum virtutibus aut vitiis ponderandis versarentur; accedit, quod in caeteris maxima fide fuit scriptor, ut efficias ex Plutarcho l. l., quam ob rem a nostro, l. l. inter gravissimos historicos recensetur, tum quod reperi, Nepotem eum viros laudantem saepius sequutum esse, vituperantem vero raro aut nunquam. Fuit autem eius historia ita conscripta, ut antiquiora saepius tempora contineret, digressionibus interpositis, quibus nonnunquam in tempora etiam mythica incidit; atque sic intelligo Ciceronem ubi ait de Leg. init., apud *Theopompum sunt innumerabiles fabulae*. Nam hoc non de fabulis esse intelligendum, quas ipse scriptor finxisset, sed, de narrationibus fando traditis, satis efficitur inde, quod a Strabone I. p. 74. ipse Theopompus diserte professus esse dicitur, se in historia fabulas narraturum melius, quam hoc fecerint Herodotus aliique. Qua de re vide Creuzerum in Praef. ad Ephorum Marxii et Wyttenbachium, Philom. III. p. 302., ubi Marxii Ephori censuram agit; nos vero alias plura dicemus: nunc id unum animadvertamus, his digressionibus tribuendum esse, quod saepius de viris rebusque egit, quae historiam suam longe antecesserunt. Ut libro decimo Philippicorum in cuius postrema parte egit de demagogis Atticis, teste Athenaeo IV. p. 166.

un-

unde nonnulli eam à reliquo libro separantes Theopompum citarunt: *ἐν τῷ περὶ Δημαγωγῶν*, ut Schol. Lucian. Tim. 29. Tom. 1. p. 142. Reiskii. Ex hoc autem libro Nepos multa petivit, quibus in Cimonis vita enarranda uteretur. Nam, quae duobus postremis huius vitae capitibus leguntur, prope omnia e Theopompo desumta sunt. Sic enim hic apud Schol. ined. Aristid. Orat. in Cim., quem locum exhibuit Marxius ad Ephorum. p. 224.: *οὐδέπω δὲ πέντε ἐτῶν παρεληλυθότων, πολέμου συμβάντος πρὸς Λακεδαιμονίους, ὁ δῆμος μετεπέμψατο τὸν Κίμωνα, νομίζων διὰ τὴν προξενίαν ταχίστην ἂν αὐτὸν εἰρήνην ποιήσασθαι· ὁ δὲ παραγενόμενος τῇ πόλει τὸν πόλεμον κατέλυσε.* Nepos vero: *Itaque post annum quintum, quo expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille, quod hospitio Lacedaemoniorum utebatur, satius existimans eos et cives suos inter se una voluntate consentire, quam armis contendere, Lacedaemonem sua sponte est profectus, pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit.* Cf. Plut. Cim. c. XVII. In primis autem capite ultimo Theopompum secutus est; ita quidem, ut, etsi alio quodammodo ordine usus, singula prope verba Latine verterit, quod apposito utriusque loco satis apparebit. Sic igitur Theopompus libro decimo Philippicorum apud Athenaeum XIII, p. 533. *Κίμων ὁ Ἀθηναῖος ἐν τοῖς ἀγροῖς καὶ τοῖς κήποις οὐδένα τοῦ καρποῦ καθίστα φύλακα, ὅπως οἱ βουλόμενοι τῶν πολιτῶν εἰσιόντες ὀπωρίζωνται, καὶ λαμβάνωσιν εἴ τινος δέοιντο τῶν ἐν τοῖς χωρίοις· ἔπειτα τὴν οἰκίαν παρεῖχε κοι-*

νὴν

νὴν ἅπασι; καὶ δεῖπνον ἀεὶ εὐτελὲς παρασκευάζεσθαι πολλοῖς ἀνθρώποις, καὶ τοὺς ἀπόρους προσιόντας τῶν Ἀθηναίων εἰσιόντας δειπνεῖν· ἐθεράπευσε δὲ καὶ τοὺς καθ' ἑκάστην ἡμέραν αὐτοῦ τι δεομένους· καὶ λέγουσιν ὡς περιήγετο μὲν ἀεὶ νεανίσκους δύο ἢ τρεῖς, ἔχοντας κέρματα· τούτοις δὲ διδόναι προσέταττεν, ὁπότε τις προσέλθοι αὐτοῦ δεόμενος· καί φασι μὲν αὐτὸν καὶ εἰς ταφὴν εἰσφέρειν· ποιεῖν δὲ καὶ τοῦτο πολλάκις, ὁπότε τῶν πολιτῶν τινα ἴδοι κακῶς ἠμφιεσμένον, κελεύειν αὐτῷ μεταμφιέννυσθαι τῶν νεανίσκων τινὰ τῶν συνακολουθούντων αὐτῷ· ἐκ δὴ τούτων ἁπάντων ηὐδοκίμει, καὶ πρῶτος ἦν τῶν πολιτῶν. — Nepos: *Fuit — tanta liberalitate, quum compluribus locis praedia hortosque haberet, ut numquam eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quominus eius rebus, quibus vellet, frueretur. Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut si quis opis eius indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes convocaret: quod facere nullum diem praetermittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Multos locupletavit; complures pauperes mortuos, qui unde efferrentur non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita eius fuit secura et mors acerba.* — Plutarchus item in Cimon. p. 484. eadem hac in re Theopompum secutus est, quamquam

quam Aristotelis traditionem paulisper discrepantem interseruit.

Quamvis Lysander ea maxime aetate inclaruerit, quam Hellenica Theopompi complectebantur, non tamen Nepos in illius vita hoc multum usus est; Theopompus enim illum plerumque laudat. Libro X. *Ἑλληνικῶν* apud Athenaeum XII. p. 543. de eo testatur, *ὅτι φιλόπονος ἦν, θεραπεύειν δυνάμενος καὶ ἰδιώτας καὶ βασιλεῖς, σωφρονῶν καὶ τῶν ἡδονῶν πασῶν κρείττων· γενόμενος γοῦν τῆς Ἑλλάδος σχεδὸν ἁπάσης κύριος, ἐν οὐδεμιᾷ φανήσεται τῶν πόλεων, οὔτε πρὸς τὰς Ἀφροδισίους ἡδονὰς ὁρμήσας, οὔτε μέθαις καὶ πότοις ἀκαίροις χρησάμενος.* Tum apud Plutarch. in Lysand. p. 450. *καὶ γὰρ ἡ πενία τοῦ Λυσάνδρου τελευτήσαντος ἐκκαλυφθεῖσα φανερωτέραν ἐποίησε τὴν ἀρετήν, ἀπὸ χρημάτων καὶ δυνάμεως, θεραπείας τε πόλεων καὶ βασιλείας τοιαύτης, μηδὲ μικρὸν ἐπιλαμπρύνοντος τὸν οἶκον εἰς χρημάτων λόγον.* Nepos vero Lysandri non adeo fuit studiosus.

In Alcibiade c. 8. tradit Nepos Alcibiadem, cum in Thracia degeret pugnaque ad Aegos flumen committenda esset, ad Philoclem Atheniensium praetorem venisse eique suum auxilium obtulisse, quo efficeret, ut Lacedaemonii necessario aut classe confligerent, aut bellum componerent. His in rebus secutus videtur Theopompum in Hellenicis. Xenophon enim Hell. II. p. 456, haec ita tradit, ut eum Nepotem secutum non esse satis constet. Quamquam non est, quod statuamus utrius traditio sit verior, cum utrumque et accidere et dicere potue-

tuerit Alcibiades. Theopompo autem Nepotem unum esse ducem inde videas, quod inter hunc et Diodorum XIII. 105. omnino conveniat, praesertim vero in sequentibus. Diodorum autem Theopompum auctorem habuisse, post Palmerium, recte monet Wesselingius. Ne vero te moveat, quod Diodorus pluribus ducibus tribuit, quod Nepos uni Philocli. In causa enim, cur Alcibiadis conditionem non acceperint, ita invicem consentiunt, ut iisdem omnino utantur verbis. Ita enim Diodorus: *νομίσαντες τῶν μὲν ἐλαττωμάτων ἑαυτοῖς τὴν μέμψιν ἀκολουθήσειν, τὰ δ' ἐπιτεύγματα προσάψειν ἅπαντας Ἀλκιβιάδῃ.* Lego autem *ἅπαντας*, ut *προσάψειν* sensu activo accipiatur, prorsus ut illud Luciani: *Σιμωνίδῃ δὲ ἔνιοι προσάπτουσι τὴν προμήθειαν ταύτην.* Nepos autem scribit: *sentiebat ..... si quid secundi evenisset, nullum in ea re suam partem fore: contra ea, si quid adversi accidisset, se unum eius delicti futurum reum.* Xenophon l. l. duces eum abire iussisse refert, *αὐτοὺς γὰρ νῦν στρατηγεῖν, οὐκ ἐκεῖνον;* quem sequitur Plutarchus in Alcib. p. 212., qui tamen Alcibiadis cum contumelia repulsi culpam praecipue in Tydeum confert.

Eodem Theopompo usus videtur, in tradenda Alcibiadis morte c. 10. Xenophontem certe, qui de hac re tacet, consulere haud potuit. Ephorus vero alia omnia tradit in lib. XVII. apud Diodorum XIV. 11. Ex eodem ac noster forte petiit Plutarchus, qui rem licet plenius tradat, cum Nepote tamen in summa consentit. Caeterum Ne-

po-

potem in hac vita Theopompum plurimum consuluisse credere licet. Nam cum huius Hellenica inceperint, ubi Thucydides desierat, non potuit, quin saepe in iis esset facta Alcibiadis mentio, quamobrem in cap. 11. diserte eum citat.

In vitis Dionis et Timoleontis procul dubio Theopompum consuluit. Praesertim vero in illius; in libris enim Philippicorum quadragesimo primo, secundo et tertio eum de rebus Siculis egisse, exorsum a Dionysii Maioris dominatu ad exsilium Dionysii Iunioris, quinquaginta complexum annorum spatium, testatur Diodorus XVI. 71. Qui tamen locus vitio laborat, ut bene viderunt Ionsius, de script. Hist. Phil., et Wesselingius ad h. l. Quod vero hic addit, Athenaeum ex libris Theopompi XXI. XXXIX. et XL. talia citare, quae Dionysium Maiorem eiusque familiam praecipue tangunt, haec nisi alia obstant, de quibus suo tempore videbimus, non impediunt, quominus rursus in libris, quos nuncupat Diodorus, de iisdem, et quidem plenius egerit, cum in superioribus de iis ὡς ἐν παρόδῳ agere potuisset, quatenus haec cum aliis cohaererent.

In vitis triumvirorum Iphicratis, Chabriae et Timothei multa ex Philippicis Theopompi hausit. Hic eorum coniunctim meminit in libro decimo tertio Philippicorum, ubi de Chabria tractans ita refert: οὐ δυνάμενος δὲ ζῆν ἐν τῇ πόλει, τὰ μὲν διὰ τὴν ἀσέλγειαν, καὶ διὰ τὴν πολυτέλειαν τὴν αὐτοῦ τὴν περὶ τὸν βίον, τὰ δὲ διὰ τοὺς Ἀθηναίους· ἅπασι γάρ εἰσι χαλεποί· διὸ καὶ εἵλοντο αὐτῶν οἱ

ἔνδοξοι ἔξω τῆς πόλεως καταβιοῦν· Ἰφικράτης μὲν ἐν Θράκῃ, Κόνων δ' ἐν Κύπρῳ, Τιμόθεος δ' ἐν Λέσβῳ, Χάρης δ' ἐν Σιγείῳ, καὶ αὐτὸς ὁ Χαβρίας ἐν Αἰγύπτῳ. Fragmentum exſtat apud Athenaeum, XII. p. 532, quod expresſit, certe ob oculos habuit Nepos in Chabria c. 3. Quod vero hic ibidem tradit: *Athenienſes diem certum Chabriae praeſtiterunt, quam ante domum niſi rediſſet, capitis ſe illum damnaturos denunciarunt. Hoc ille nuntio Athenas rediit, non tamen ibi diutius est moratus, quam fuit neceſſe.* Haec inquam apud Theopompum nunc quidem non legimus, credere tamen licet haec item eum ſcripſiſſe, eaque laudatis verbis praeceſſiſſe, ut apud Nepotem, ut ſic per ſequentia ratio redderetur eorum, quae anteceſſerant. Quae ibidem ſubiungit Nepos de Charete, petita ſunt ex libro quadrageſimo quinto Theopompi Philippicorum apud Athenaeum l. l.

Quod tradit Nepos, Iphicr. 2, Artaxerxem, adverſus Aegypti regem bellum geſturum, Iphicratem ab Athenienſibus petiviſſe ducem, quem exercitui conductitio praeficeret, non auſim ſtatuere, an ex Theopompo, an vero ex alio hauſerit. Hoc certe iure mihi videor contendere, eundem ea in re ducem eum habuiſſe ac Diodorum, qui tradit, eum, rogante Perſa, ab Athenienſibus miſſum eſſe, et in caeteris omnino cum nostro conſentit. Vid. XV. 29, 41. Notandum tamen, ſecundum Nepotem, Iphicratem conductitio exercitui duodecim millium, Diodoro vero auctore, viginti millium praefuiſſe. Nam, ita fere est agendum, ut, ſi pri-

primum fontem adire nobis non licet, eum cum Nepote scriptorem conferamus, qui eodem auctore usus videatur, ut ita, de illius auctoritate et fide historica constet. Quod si rite faciamus, apparebit, quae Nepos c. 1. de Iphicratis meritis tradit, in inveniendis praesertim rebus, quae ad militiam pertinerent, eadem fere esse ac quae legimus apud Diodorum XV. 44. Contra vero, quod c. 2., milites *Iphicratenses* in summa laude fuisse, illud non, ut Nepos, Diodorus retulit ad eorum virtutem et modum, quo erant exercitati, sed ita eos esse appellatos, propter arma et reliquum apparatum, ab Iphicrate inventum. Sed talia non magni sunt momenti; praesertim quod utrumque verum esse potest. Diodorum alii multi sunt sequuti. Vid. Wesseling. ad h. l.

In cap. 3. huius vitae nominatim Theopompum citat, ex eoque tradit Iphicratem remissum nimis parumque patientem fuisse. Hoc videtur confirmari a Diodoro XV. 41., apud quem Iphicrates Pharnabazi in operibus peragendis tarditatem reprehendit: mirari se dicens, quomodo in sermone celer, in operibus vero tardus sit. Exemplum quod deinceps affert, quo probaret bonum civem fideque eum magna fuisse, quod declaraverit maxime in Amyntae Macedonis liberis tuendis, ex eodem Theopompo profectum crediderim. Omnino enim est consentaneum, eum haec in Philippicis annotasse. Non tamen Nepos hunc bene secutus videtur, si quidem ex epitomatore Trogi Pompeii constat, Eurydicem praeter Perdiccam et Philippum,

quos tantum nuncupat Nepos, filium habuisse Alexandrum et filiam Euryonem. Vide Iustinum VII. 4.

Quod in Chabria c. 1. tradit de huius invento in proelio apud Thebas, cum Boeotiis adversus Lacedaemonios fubfidio venisset, omnino cum Diodori traditione consentit; vid. XV. 32. Eadem refert Polyaenus II. 1. Assentior Wesselingio ad Diodorum l. l. Nepotem ita ex Theopompo scripsisse, quamquam bene, ut opinor, addit, *aut fortasse ex Callisthene.* Huius enim Ἑλληνικῶν συντάξεως decem libri tempora, quae inter pacem Graecorum cum Artaxerxe et expilatum templum Delphicum intercesserunt, complectebantur, ut novimus ex Diodoro XIV. extr., XVI. 14.; atque adeo ad Chabriae tempora pertinebant. Bene autem Nepotem suum auctorem, utrumvis tandem, secutum esse, comparatione inter eum et Diodorum instituta satis apparet. Item, quae de statua addit, quam sibi Chabriae eodem statu, in quo victoriam adeptus erat, fieri voluerit, omnino congruunt cum Diodoro XV. 33.

Sive vero Theopompum, sive alium, secutus sit in tradenda Chabriae morte, cum is Chium oppugnabat, non certe bene scripsit Chabriam *privatum* in classe fuisse. Diodorus enim XVI. 7. eum classi praefuisse testatur, quod item effici potest ex Plutarcho, Phocion. p. 744. quorum uterque eodem ac Nepos auctore usus videtur. De Diodoro saltem noli dubitare. Ostendunt enim haec verba: ὁ δ' ἀντὶ τῆς ἥττης ἀλλαξάμενος τὴν εὐκλεᾶ θάνατον, ἀγω-

ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ τῆς νεὼς καὶ τρωθεὶς ἐτελεύτησε. Quae cum Nepos ita habeat: *At ille praeſtare honestam mortem existimans turpi vitae, cominus pugnans telis hostium interfectus est*, ſatis apparet, utrumque eundem ſcriptorem expreſſiſſe. Quo modo vero idem Diodorus XV. 36, eum, ſedecim annis ante, Abderis dolo quorundam interemtum ſcribere potuerit, non equidem capio, niſi per librarios nomen ibi vitioſe transſcriptum ſtatuamus; cf. Weſſelingius ad h. l.

Quamvis Nepos in vita Ageſilai Xenophontem potiſſimum ſecutus ſit, non deſunt tamen, quae ex alio auctore hauſta videantur. Nam quae c. 6. tradit, cum Epaminondas Spartam accederet, nonnullos adolescentulos, hostium adventu perterritos, ad Thebanos transfugere voluiſſe, quos ſimulata laudatione recuperaverit Ageſilaus; de his apud Xenophontem nihil me legere memini. Deſumta fortaſſe ſunt ex Theopompo. Plutarchus ſaltem, quamquam in nonnullis recedit a Nepote, eandem tamen rem memorat in Ageſilao p. 614., et paulo post Theopompum citat. Eundem ante oculos habuiſſe videtur, quando in eadem vita c. 8. ſcripſit, regem Aegypti munera cuiusque generis miſiſſe, quorum tamen nihil acceperit Ageſilaus, unguenta autem, coronas, ſecundamque menſam ſervis eum diſpertiiſſe. Nam Ageſilao dono miſiſſe Aegyptios et alia multa et coronarium papyrum ſcripſit Theopompus, tum in Hellenicis l. III. apud Athenaeum XV. p. 676., tum iterum ibid. l. XI.

 et

et l. XIII. Phil. apud eundem p. 657.; qui tamen locus corruptus corrigendus est ex Athenaeo IX. p. 384, ut alias docebo. Ex eodem fortasse mortem Agesilai refert, eiusque corpus cera circumfusum, quod mel non haberent, domum esse delatum. Ea enim de re nihil apud Xenophontem. Consentit Plutarchus in Agesil. extr.; alia Diodorus XX, 98.

EPHORUS.

Alter Isocratis discipulus erat Ephorus Cumaeus. Utrumque memorat Cicero in Bruto c. 56., ex quo loco utriusque genus cognoscitur. Ait enim ibi Cicero, traditum esse Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori, dixisse, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. Praeter alia opera, ut *περὶ εὑρημάτων*, quod citat Athenaeus V. p. 182. et VIII. p. 352., aliaque, quae commemorat Vossius de Hist. Graec. p. 66, historiam conscripsit rerum Graecarum, quae per septingentos et quinquaginta annos acciderunt, a reditu Heraclidarum, ad annum, quo Philippus Perinthum obsedit; opusque in triginta libros distribuit, singulis praefatione addita. Sic enim Diodorus XVI, 76. *τῶν δὲ συγγραφέων, Ἔφορος μὲν ὁ Κυμαῖος τὴν ἱστορίαν ἐνθάδε κατέστροφεν εἰς τὴν Περίνθου πολιορκίαν· περιείληφε δὲ τῇ γραφῇ πράξεις τάς τε τῶν*

Ἑλ-

Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδου· χρόνον δὲ περιέλαβε σχεδὸν ἐτῶν ἑπτακοσίων καὶ πεντήκοντα, καὶ βίβλους γέγραφε τριάκοντα, προοίμιον ἑκάστῃ προθείς, cf. idem IV. init. Ultimum librum citat Stephanus v. Μελιταία. Ephori fragmenta collegit et docte illustravit Meyerus Marxius, Caroliruhae, 1815. Quum igitur maximam partem Ephori historia comprehenderet, in plerisque vitis eum Nepos perpetuo consulere potuit, praesertim cum, iudice Strabone l. XIII. p. 924. cf. tamen idem IX. p. 646, vir fuerit, ἄξιος μνήμης, cuius scripta ita studiose laudat Polybius, acerrimo sane vir iudicio et critico ingenio praeditus, ut diceret, de rebus Graecis Eudoxum belle, Ephorum optime scripsisse, apud Strabon. X. p. 713. Sunt qui de eius laude multum detrahant, quos vide apud Vossium de Hist. Gr. p. 66; adversus hos tamen iure vindicatur a Marxio p. 63 seq. — Ad ea vero, quae scripsit Diodorus I. 39. οὐκ ἄν τις παρ' Ἐφόρου ζητήσειεν ἐκ παντὸς τρόπου τἀκριβές, ὁρῶν αὐτὸν ἐν πολλοῖς ὠλιγωρηκότα τῆς ἀληθείας, teneatur agi de fontibus Nili; qua de re quae incredibilia tradiderint ad unum omnes, qui illos quaerere suscepissent, notissima res est. Ita quidem ut optimi etiam scriptores ea de re haud credibilia referrent, inter quos et ipse Herodotus, ut Diodorus iam animadvertit I. 37. In caeteris autem, in primis vero quae ad stilum rerumque dispositionem pertineant, quanti idem Diodorus Ephorum faceret, ex eo apparet, quod eum boni omnino historici of-

officio functum declarat: Ἔφορος δὲ; ita ſcribit, l. V. init. τὰς κοινὰς πράξεις ἀναγράφων, οὐ μόνον κατὰ τὴν λέξιν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν οἰκονομίαν ἐπιτέτευχε.

Qua auctoritate Ephorus apud Nepotem fuerit, haud ita facile dixeris. Occurrunt loca, in quibus illum ſecutus ſit, et ita ut prae Herodoto ei fidem habuiſſe videatur. Nam quae in Miltiade de colonia Cherſoneſum deducta deque rebus ad Lemnum gestis memoriae tradidit, non temere, opinor, conieceris, in iis Nepotem Ephorum ducem habuiſſe. Herodotum certe et Hellanicum eum non ſecutum eſſe antea ſatis ostendimus. Ut adeo neſciam quo potius auctore uti potuerit, quam Ephoro. Atque eo magis adducor ut ita ſtatuam, quod in eadem illa vita Nepos Ephorum omnino conſuluit. Nam quae de Miltiadis expeditione adverſus Parum tradidit, non ex alio fonte profecta ſunt, et ab Herodoteis omnino discrepant. Ex Nepote enim c. 7. efficitur Athenienſes ſponte ſua claſſem ſeptuaginta navium Miltiadi dediſſe, quibus inſulas, quae barbaros adiuverant, bello perſequeretur, atque inter has Parum. Ex Herodoto autem VI. 132. cognoscimus, Miltiadem ipſum naves, exercitum et pecuniam ſibi ab Athenienſibus petiviſſe, non tamen indicaſſe, quam regionem peteret, ſed tantummodo dixiſſe, eos, qui ipſum ſequerentur, ditiores fore. Accepto autem exercitu, Parum eum navigaſſe, cauſam praetegentem, Parios in pugna Marathonia Perſis auxilio fuiſſe, quamquam privata cauſa eum incitaverat. Ne-

Nepotis traditio apud Ephorum nunc quidem non superest. Eam tamen ex eius libro X. esse haustam inde intelligitur, quod, quae apud Nepotem sequuntur, ad verbum ex illo scriptore sunt descripta, cuius fragmentum exstat apud Stephanum v. *Πάρος*. Ut haud dubitem, quin totam illam rem Nepos apud Ephorum legerit, cuius posteriorem partem tantummodo exhibuit Stephanus, ut quae sibi in re, quam narrare vellet, satis erat. Fragmentum Ephori apponam cum Nepotis verbis: *ὁ δὲ Μιλτιάδης, τῶν μὲν ἄλλων νήσων τινὰς ἀποβάσεις ποιησάμενος, ἐπόρθησε· Πάρον δὲ εὐδαιμονεστάτην καὶ μεγίστην οὖσαν τότε τῶν Κυκλάδων καθεζόμενος ἐπολιόρκει πολὺν χρόνον, τῆς θαλάττης εἴργων, καὶ κατὰ γῆν μηχανήματα ἄγων. Ἤδη τῶν τειχῶν πιπτόντων, καὶ ἐπὶ τὸ παραδιδόναι τὴν πόλιν διωμολογημένων, ὕλης τινὸς ἐξ αὐτομάτου, περὶ τὴν Μύκονον ἐξαφθείσης, οἱ μὲν Πάριοι τὸν Δᾶτιν αὐτοῖς πυρσεύειν ὑπολαβόντες, ἐψεύσαντο τὰς ὁμολογίας, καὶ τὴν πόλιν οὐκέτι τῷ Μιλτιάδῃ παρέδοσαν.* — Nepos. — *Nonnullas vi expugnavit: ex his Parum insulam, opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias e navibus eduxit; urbem operibus clausit, omnique commeatu privavit; deinde vineis ac testudinibus constitutis propius muros accessit. Quum iam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est: cuius flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem signum a classiariis regiis da-*

datum. Quo factum est, ut Parii a deditione deterrerentur. Hoc tamen offendit, quod secundum Ephorum pacta de urbe tradenda iam fuerint inita, quid enim alioquin significat, ἐψευσάντα τὰς ὁμολογίας? cum tamen Nepos referat Parios orationibus non potuisse reconciliari. Non autem est mirandum Ephorum tam diversa scripsisse ab Herodoto, cum huius iam tempore variae illus rei narrationes essent sparsae, ut ipse testatur VI. 134. — In sequentibus, quibus exponit, quid Miltiadi Athenas reverso acciderit, eundem Ephorum secutus videtur, etsi id certo dici non posfit, cum huius traditio perierit. Nam pertinent haec ad ea, quae ad Parum acciderunt. Herodotus saltem, quamvis universe cum Nepote consentiat, ei non fuit auctor, ut inde cognoscitur, quod Nepos scribit, cum Miltiades, pro se ipse dicere non posset, pro eo verba fecisse eius fratrem Tisagoram. Herodoto autem auctore non frater, utpote qui iam antea obierat, vid. Herod. VI. 38, 39, sed amici Miltiadem defenderunt. Id. VI. 136. Nominis variam scripturam non moror: teneatur tamen Tisagoram Nepotis, Stesagoram esse Herodoti.

Ad Ephorum respexit Nepos in Themistocle c. 9. scribens: *Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transiisse.* Inter hos enim scriptores Ephorum fuisse constat ex Plutarcho, Them. p. 125. Nepotem vero ea in re neque Ephorum, neque caeteros, quos ibi citat Plutarchus, sed Thucydidem secutum esse, ipse fatetur, ut suo loco vidimus. Fortasse

ex Ephoro habuit illud in Cimone c. 2: *His ex manubiis Athenarum arx, qua ad meridiem vergit, est ornata.* Eadem enim leguntur apud Plutarchum in Cimone p. 487, qui paulo ante Ephorum citaverat. Ita ille: πραθέντων δὲ τῶν αἰχμαλώτων λαφύρων, εἴς τε τὰ ἄλλα χρήμασιν ὁ δῆμος ἐῤῥώσθη, καὶ τῇ ἀκροπόλει τὸ νότιον τεῖχος κατεσκεύασεν, ἀπ' ἐκείνης εὐπορήσας τῆς στρατείας. Dixi *fortasse ex Ephoro*, nam quod paulo antea citatur a Plutarcho, non tamen certo inde efficitur, caetera ex eodem esse desumta; satis sit, interim Nepoti fidem accedere ex consensu inter eum et Plutarchum. Maiori iure statuere licet, quae in Lysandro c. 3. scribit, de oraculis frustra ab eo tentatis, quibus fretus reges Lacedaemoniorum tolleret, tradidisse Nepotem ex Ephoro, si quidem huius traditio plenius exstat apud Plutarchum in Lysand. p. 447. et cum Nepote fere consentiat. De caussa tamen huius conatus non convenit inter scriptores. Nostro auctore, caussam praebuit dolor, quo incensus erat propter sublatam decemviralem potestatem ab ipso constitutam. Aliam profert Plutarchus. Diodorus autem XIV. 13. elato illud eius propter successus animo tribuit. Quoscunque tandem auctores in hac vita, misere corrupta et lacunarum plena secutus sit, id saltem apparet, hos Lysandro non multum favisse, ut neque plerique fecerunt. Quominus credam verba, quae leguntur apud Ciceronem *de Senectute* c. 17: *Lysander Lacedaemonius vir summae virtutis* esse germana, In Oeconomico certe Xenophontis, unde locum peti-

tierit Cicero, ea nondum inveni. Vide Xenoph. p. 830.

Plura Ephori vestigia apud Nepotem non comperi. Unde intelligitur non admodum eo usum esse Nepotem, si potissimum cogitemus, illius Ἑλληνικά tantum historiae campum lustrasse, atque adeo multa eum praebuisse, quae tum alii tum Nepos consuleret.

DINON.

Magna auctoritate apud Nepotem erat Dinon (Δίνων sive Δείνων). Huic enim de Persicis rebus plurimum se credere ipse confessus est in Conone extr. Vixit Artaxerxis Ochi et Philippi, Amyntae filii, temporibus. Fuit enim pater Clitarchi, qui Alexandri Magni aetate floruit. Scripsit de rebus Persicis, sive Persarum historiam. Nam utroque modo hoc opus citatur. Multi illud ad partes vocarunt. Athenaeo citatur II. p. 67. Δείνων [Δείνων] ἐν τῇ Περσικῇ πραγματείᾳ. IV. p. 146. Δίνων ἐν τοῖς Περσικοῖς. Item XIII. p. 560. Et Aelianus, quomodo Semiramis Assyriorum imperium, sibi vindicaverit ex Dinone narrat, V. H. VII. 1. Haud facile dicitur quot libris opus constiterit. Tertius tamen liber citatur ab Athenaeo XI. p. 503, et quintus ab eodem XIII. p. 609. Item Diogenes Laert. in prooem. quintum τῶν ἱστοριῶν citat; qui et in Protagora laudat eum ἐν Πε-

Περσικοῖς. Dolendum profecto huius auctoris fere non nisi nomen superesse, praesertim quod, quum saepius a veteribus memoretur, credere licet, eum magni nominis scriptorem fuisse, qualis Nepoti visus est, cum ei maximam fidem daret, cui plurimum in rebus Persicis crederet. Quae ipsa causa me adducit paene, ut existimem, multos locos ad Persica tempora pertinentes, qui apud Nepotem obvii, ab aliis scriptoribus deflectunt, ex Dinone esse haustos. Huc pleraque in vita Cononis refero, quae quidem aliter omnino a Xenophonte tradita sunt, ut suo loco notavi. Quamquam iis in rebus praeter eum Ctesiam consulere potuit, quippe quem in nonnullis a Xenophonte dissentire scribit Photius Cod. LXXII., deque hisce rebus multa scripsisse patet ex Plutarchi Artaxerxe.

Dinonem ante oculos habuit Nepos quando in Themistocle c. 9. scribebat. *Scio plerosque ita scripsisse* caet., vide supra ad Ephorum. Nam etiam Dinonem inter hos scriptores fuisse, legimus apud Plutarchum, Them. p. 125. Horum vero traditionem Nepotem non secutum esse, supra iam notavi.

Cononem a Teribazo in vincula coniectum esse, effugisse tamen, habet ex Dinone. Vid. Nep. Con. extr. Hoc tamen addubitavit Dinon, utrum Teribazo sciente, an imprudente factum esset. Xenophon vero, Hell. IV. p. 538., tantummodo tradidit, eum coniectum esse in vincula et Teribazum ad regem profectum esse illud indicaturum, ut, quid sibi faciendum esset, cognosceret. Alii

scri-

ſcripto reliquerunt, Cononem ad Regem abductum esſe, ibique periisſe. Diodorus rem in medio reliquit, mortem certe eius disſimulavit, XV. 43. cf. XIV. 85., fortasſe propter disſenſum inter ſcriptores.

HIERONYMUS CARDIANUS.

In cenſum nunc venit Hieronymus Cardianus, qui floruit ſub Alexandri Magni ſuccesſoribus. Fuit enim Eumenis amicus et civis, teste Diodoro XVIII. 50. Scripſit historiam ſui temporis, ſive τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας ut notat Diodorus XVIII. 42, in qua etiam Alexandri res attigit, ut ex Suida novimus, qui addit eum historiam ſuam ad tertium Ptolemaeum perduxisſe. Posterior pars dicitur fere, ἡ περὶ τῶν ἐπιγόνων πραγματεία; quomodo a Dionyſio citatur, Ant. Rom. I. 6. Haec posterior pars ne confundatur cum ſuperiore, quae est περὶ τῶν διαδόχων, hi enim ipſi ſunt Alexandri ſuccesſores, qui imperium inter ſe diviſerunt, ἐπίγονοι vero horum posteri; ut erudite pro more animadvertit Vosſius de Hist. Gr. p. 75. qui aliorum ea in re errores iure reprehendit. Cf. Wesſeling. ad Diod. I. 3. Cum igitur ea esſet Hieronymi historiae ratio, dubitare vix licet, quin Nepos in Eumenis vita eum principem ducem habuerit. Nepos quidem, ut non niſi raro auctores ſuos memorat, ſic in hac etiam vita nullum nun-

nuncupat. Alia igitur via ineunda est, ut nimirum, comparatione instituta inter eum et alios scriptores, appareat quorum traditionibus sit usus, modo de illis hoc constet. Ex Plutarcho autem, qui neque fontem, quem adierit aperuit, parum aut nihil sapimus. Diodorus tamen omnia nos nescire noluit. Saepius laudavit Hieronymum historiarum scriptorem, ut in locis modo adductis, tum XIX. 44. et 100. Ut haud dubitem, quin magnam partem ex eo hauserit. Nepotem autem et Plutarchum eosdem ac Diodorum habuisse duces satis apparebit, si ostendero in plerisque inter eos convenire.

Statim hoc animadverto in proelio Eumenis adversus Craterum et Neoptolemum, in qua notanda prudentia Eumenis, in eo conspicua, quod milites latuerit, cum quo hoste proelium essent commissuri, cf. Plut. in Eum. p. 586. Eminet in hac pugna singulare certamen, in qua Eumenes Neoptolemum obtruncat. Haec tum a Diodoro XVIII. 31. tum a Plutarcho p. 587. eodem modo tradita sunt. Eumenem Craterum semivivum ex acie elatum recreare voluisse, caet., Diodorus non memorat, Plutarchus autem Gorgiae, uni ex Eumenis ducibus, hoc tribuit.

Deinde, in cap. 5, egregie consentit cum Diodoro et Plutarcho, ubi tradit Eumenem capitis damnatum esse, cf. Diod. XVIII. 37. Plut. p. 587., tum in narranda eius obsidione in castello Noris, cf. Diod. XVIII. 41. Plut. p. 589., et in narratione interiecta de equorum exercitatione cum

ob-

obsidebatur, Diod. XVIII. 42. Plut. ibid. Porro, quae sequenti capite legimus, misisse Olympiam literas ad Eumenem consultum, utrum repetitum Macedoniam veniret, cui primum Eumenes suaserit in Epiro maneret, postea tamen permotus ipse constituerit exercitum comparare, ut Alexandri liberorum rebus opitularetur, item leguntur apud Diodorum XVIII. 58. Tum quod de eius invento refert, quo sibi ipse imperium compararet c. 7., cf. Diod. XVIII. 60. et Plut. p. 591. — Subit tamen mirari, qui Nepos scribere potuerit, Eumenem invidiam veritum esse, *quam tamen effugere non potuit.* Nam secundum Plutarchum τὸν μὲν φθόνον ὁ Εὐμενὴς ἐθεράπευεν τῷ τὰ χρήματα μὴ λαβεῖν. Eadem refert Diodorus. Quod tamen an ita possit conciliari, ut ille de postremo vitae tempore, hi de eo, quod adventum Eumenis proxime excepit, loqui intelligantur, ut Bosius explicuit, nescio. — In narranda expeditione Antigoni contra Eumenem et stratagemate, quo hic illum illuserit, eosdem secutus est auctores, ac Diodorus XIX. 37. seq. et Plutarchus p. 592. Quamquam in minutis discrepare videntur. Nam Nepos c. 8. Antigonum suis imperasse refert, tum alia comparare, tum *cibaria cocta.* Diodorus vero c. 37. scribit ἄπυρα σιτία, qua tamen de re vide Wesselingium ad h. l. et Gebhardum ad Nepotem l. l. ab Wessel. laud. Dein, ad verba: *suspicio adlata est ad Eumenem hostem appropinquare*, notandum: Plutarchum p. 592. ad Peucestam, Diodorum ad utrumque nuncium esse al-

allatum, scripsisse. Denique, Eumenes, consilium suum apperiens, a Nepote dixisse fertur: *quod diebus quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spatio retardaretur.* Diodorus et Plutarchus idem consilium memorant, hic tamen scribit: ὥςε τρισὶν ὕςερον ἡμέραις ἢ προσδοκοῦνται παραγενέσθαι, et ille: ὕςερον ἡμέραις τρισὶν ἢ τέταρσι. Ipsum vero strategema felicemque eius eventum, cum Nepote Plutarchus et plenius Diodorus ita exponunt, ut communem omnes fontem habuisse videantur. Tandem proditione deditum esse Eumenem, cum Nepote c. 10. referunt Diodorus XIX. 43. et Plutarchus in vita extr. Caetera eius fata parcius ab illo, copiosius ab hoc et Nepote, plane quidem inter se consentientibus, traduntur. Nam, quae praecepisse Antigonus dicitur, ut praefectus custodum Eumenem servaret, ut acerrimum leonem aut ferocissimum elephantem; Eumenis cum Onomarcho confabulatio, magni eius animi egregia testis; postremo, eius mors et honores ipsi mortuo ab Antigono habiti; haec omnia apud utrumque ita leguntur, ut communem fontem non animadvertere non possis.

Apparet, quantum in hac vita difficillima sane, conveniat inter scriptores. Ut adeo, tametsi fontem ipsum digito monstrare non possimus, ex illo consensu tamen non parum auctoritatis Nepoti accedat. Quamquam hoc non de omnibus aeque valet. Sunt enim, in quibus Nepos ab aliis omnino discrepet; ut quod c. 5. memoriae prodidit, Perdiccam interfectum esse a Seleuco et An-

tigono, rerumque summam ad hunc delatam esse. Diodorus enim XVIII. 36, cui alii assentiuntur, (vid. Wessel. ad h. l.), tradit, nonnullos equites ad Perdiccae tentorium se contulisse, eumque trucidasse, accusatum a multitudine, quod eius culpa multi periissent, atque eo interfecto, Pythonem et Arrhidaeum rerum summae praefectos esse. At equidem neque evincere studeo Nepotem semper suum auctorem, hac praesertim in re, bene secutum esse, neque eundem perpetuo habuisse auctorem quem alii. Moneo denique me haud ita statuere omnes illas res, quas adduxi, ut consensus inter Nepotem et alios appareret, ex uno Hieronymo haustas esse. Alii scriptores, quorum neque scripta ad nos pervenerunt, sua procul dubio contulerint. Id unum volo, omnes hunc auctorem in Eumenis vita tradenda principem habuisse, quod vel ex laudibus intelligitur, Eumeni perpetuo ab iis tributis, quibus certe non alius facile tam eum cumulaverit, quam Hieronymus, qui Eumeni carissimus semper fuit; ut certissimum huic opinioni praesidium inde parari optime existimet Heerenius de font. Plut. comm. II. (in comm. Gott. rec. vol. III. p. 68.)

TIMAEUS.

Non pauca Nepos debuit Timaeo, haud confundendo cum Locro eiusdem nominis, philosopho Pythagoreo. Filius erat Andromachi Tauromenitae.

Diod.

Diod. XVI. 7., et vixit Ptolemaeorum Lagi filii, et Philadelphi aetate. Cf. Vossius de Hist. Gr. p. 80. Tum aliis scriptis, tum vero historicis inclaruit. Nam conscripsit historiam Siciliae, opere satis amplo, ut videtur, si quidem librum decimum quintum citat Diodorus XIII. 83. et vicesimum secundum Athenaeus VI. p. 250., qui multis aliis in locis eius ἱστοριῶν meminit. Eximie fere celebratur a veteribus; ob dicendi tamen genus potissimum, ut a Cicerone de Orat. II. 14.: *Timaeus*, inquit, *longe eruditissimus*, *et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus*, *et ipsa compositione verborum non impolitus*, *magnam eloquentiam ad scribendum attulit*. Fidei vero eius multum detrahunt, quoniam iniquiorem saepius in multos sese praebuit, quod testatur Clemens Alex. Strom. I. p. 316.: Pott., et iam pridem in eo reprehenderat Polybius Exc. XII p. 659. Casaub. Huc item pertinet locus Diodori, quamquam caeteroquin eandem ac Cicero ei laudem tribuit. *Τίμαιος μὲν οὖν μεγίστην πρόνοιαν πεποιημένος τῆς τῶν χρόνων ἀκριβείας, καὶ τῆς πολυπειρίας πεφροντικὼς, διὰ τὰς ἀκαίρους, καὶ μακρὰς ἐπιτιμήσεις εὐλόγως διαβάλλεται, καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐπιτιμήσεως Ἐπιτίμαιος ὑπό τινων ὠνομάσθη.* lib. V. init. Hoc cognomine quoque insignitur a Callimachio Istro apud Athenaeum VI. p. 272. et a Strabone XIV. p. 949., quem locum corruptum Casaubonus melius quam Xylander restituit. Quamobrem Nepoti in Alcib. c. 11. *maledicentissimus* vocatur; unde colligere licet, Nepotem in quibus eo usus sit,

caute admodum eum secutum esse. In multis autem eum Timaeum consuluisse, vel inde intelligitur, quod eum inter gravissimos historicos recensuit.

Vestigia autem Timaei deprehendo, ubi Nepos in Alcib. c. 4. tradit, Alcibiadem, cum Siciliam reliquisset, arcessitum ab Atheniensibus, clam se custodibus subduxisse, et inde primum in Elidem, deinde *Thebas* venisse. Nam postea c. 11. eadem plenius retulit, eum Thebas venisse, ubi adeo studiis Thebanorum inservierit, ut nemo eum labore corporisque viribus posset aequiparare. Quo loco etsi cum Theopompo et Timaeo, Thucydidem memoret, hunc tamen hac in re Nepotem non secutum esse, inde apparet, quod Thucydides quidem VI. 61. tradit, Alcibiadem primum in agrum Thuriorum venisse, indeque in Peloponnesum profectum esse; Thebas tamen eum venisse ne memorat quidem, ut adeo h. l. Timaeum tantum et Theopompum Nepos secutus videatur. Ac nescio, an idem efficiatur ex ipsius Nepotis scribendi ratione, qui cum primum hos memorasset, ut duos maledicentissimos, qui tamen in Alcibiade laudando mirifice conspirassent, statim hanc rem ita subiungit: *nam ea, quae supra diximus, de eo praedicarunt: atque hoc amplius, quum Athenis, splendidissima civitate, natus esset, omnes splendore ac dignitate vitae superasse, postquam inde expulsus Thebas venerit* caet. Eadem de Alcibiade Thebis degente scripsit Satyrus apud Athenaeum XII. p. 534.: ἐν Θήβαις δὲ σωμασκῶν καὶ γυμναζόμενος τῶν Θηβαίων αὐτῶν μᾶλλον Βοιώτιος.

Fuit

Fuit is Peripateticus et ſcripſit περὶ τῶν βίων; eodem teste XII. p. 541. XIII. p. 557.

Quae in Dione c. 2. tradit de Dionyſii maioris morte, ex Timaeo hauſit; eadem enim hic refert, apud Plutarchum in Dione p. 960. An eundem ſecutus ſit, in eadem vita c. 4. tradens, Dionyſium verentem, ne ſibi a Dione inſidiae ſtruerentur, huic triremem dedisſe, qua Corinthum deveheretur, haud ita facile dixeris. Non enim ea in re omnino inter ſcriptores convenit. Diodorus XVI. 6. refert Dionem ſibi metuentem fugam in Peloponneſum capescivisſe; Plutarchus p. 964. ex Timaeo memoriae prodidit, Dionem a tyranno εἰς ἀκάτιον coniectum esſe, ut in ora Italiae exponeretur, cuius rei cauſam fuisſe, quod Philistus eum coniurationis cum Carthaginienſibus accuſavisſet. Plato, in cauſa rei, cum Timaeo conſentit, deinde ſolum ſcribit tyrannum Dionem impoſuisſe σμικρὸν εἰς πλοῖον Ep. VII. p. 329. Optime autem Nepos ſcripſisſe videtur, Dionem Corinthum esſe devectum. Diodorus enim item ſcribit, eum in Peloponneſum profectum esſe. Et quamvis Plutarchus retulerit nautas iusſos esſe, in Italiam eum deponere, eum tamen in Peloponneſum venisſe, ſciente tyranno, ex ſequentibus apparet. Etſi vero Nepos Timaeum non omnino bene ſecutus ſit, hunc tamen eum ante oculos habuisſe crediderim, propter haec verba: *Id quum multi indignarentur, magnaeque esſet invidiae tyranno, Dionyſius omnia, quae moveri poterant Dionis, in naves impoſuit, ad eumque miſit.* Eadem enim Plutarchus, quem Ti-

 mae-

maeum fecutum esſe monui, aliis verbis declarat.: τοὺς μὲν φίλους παρεμυθεῖτο καὶ τὰς γυναῖκας, ὡς οὐ φυγῆς ἀλλ' ἀποδημίας τῷ Δίωνι γεγενημένης, ὡς μὴ τι χεῖρον ὀργῇ πρὸς τὴν αὐθάδειαν αὐτοῦ παρόντος ἁμαρτεῖν βιασθείη· δύο δὲ ναῦς παραδοὺς τοῖς Δίωνος οἰκείοις, ἐκέλευσεν ἐνθεμένοις ὅσα βούλοιντο τῶν ἐκείνου χρήματα καὶ θεράποντας ἀπάγειν πρὸς αὐτὸν εἰς Πελοπόννησον.

An in exponendo Dionis in Siciliam reditu c. 5. Timaeum fecutus fit, dubitari potest. Crediderim tamen. Quae enim hac de re tradit Plutarchus p. 968. ex Theopompo, quem laudat, maxime hausta funt, et a Nepotis traditione discrepant. Egregie autem concinunt Nepotis et Diodori tradita XVI. 9. five res ipſas, five narrandi modum fpectemus, ut eundem auctorem ambo fecuti videantur. Ex eodem vero Diodoro corrigendum est Nepotis illud: *imperium munitum quingentis longis navibus.* Librariorum peccato ita legi pro *quadringentis* autumat Wesfelingius ad Diod. l. l. Cui non repugno, fi quidem aliorum fcriptorum testimonio haec lectio confirmatur.

In Timoleontis vita maxima Nepoti Timaei erat auctoritas, eximii illius laudatoris, cui tamen focios adiunxit Theopompum et Ephorum. Quod ftatim apparet ubi Nepos fcribit, Timoleontem Corinthum a dominatione fratris Timophanis liberasſe. Eadem enim ex his fcriptoribus memorat Plutarchus in Timol. p. 237. Ibi legimus Timoleontem infidias fratri ftruxisſe, asſumtis e domesticis Aeſchylo, ex amicis vate quodam, quem Theopompus

Satyrum, Ephorus vero et Timaeus Orthagoram vocant. Quem vero e tribus Nepos secutus sit, haud facile dixeris, cum nominibus non additis, pariter ut Diodorus XVI. 65, tantum scripserit, fecisse id Timoleontem per *haruspicem, communemque affinem, cui soror, ex iisdem parentibus nata, nupta erat.* Plutarcho vero auctore, non communis hic erat Timoleontis et Timophanis affinis, sed huius uxoris frater. Uter verius scripserit nescio.

In eo vero hos optime Nepos secutus est, quod scripsit, Timoleontem ipsum caedi non modo manus non attulisse, sed ne adspicere quidem fraternum sanguinem voluisse. Theopompus enim, Ephorus et Timaeus eum paululum recessisse, obvolutoque capite lacrymabundum constitisse tradunt; ut quomodo Diodorus l. c. ipsum Timoleontem in foro obambulantem fratrem obtruncasse scribere potuerit, non equidem exputo. Tum in sequentibus ad hanc rem pertinentibus egregie Nepos cum Plutarcho consentit, sive potius cum iis, quos hic auctores habuerit. Item in iis, quae de rebus in Sicilia gestis refert; ut Dionysium ab eo devictum et Corinthum missum esse et Hicetam superasse (cf. Plut. p. 241 seq.), et Carthaginienses fugasse (cf. idem p. 250.) et Mamercum cepisse (idem p. 252.). Optime autem ex hoc loco et Nepote Wesselingius correxit Diodorum, apud quem XVI. 69. Μάρκος perperam pro Μάμερκος legebatur.

Sed otiosum foret plura ad partes vocare, quibus indicaretur, quantopere Nepos in Timoleontis

 vi-

vita cum Plutarcho consentiat, cum omnia fere essent revocanda. Nam: quae deinceps adduxit exempla, de eius tolerantia caeterisque virtutibus, eadem apud Plutarchum legimus, inter quae eminent Timoleontis reponsa ad Lamestum (Plutarcho p. 253. *Λαφύστιος* dicitur) et ad Demaenetum. Ut appareat eosdem Nepotem duces habuisse, Ephorum, Theopompum, praesertim vero Timaeum; cui in celebrandis Timoleontis virtutibus tantam fidem tribuit, ut non sit dubium, quin ei assensus sit, Timoleontis operum, si a fratris fato discesseris, nullum fuisse, cui non item Sophoclis illud acclamaret: *Ὦ θεοί, τίς ἄρα Κύπρις ἢ τίς Ἵμερος τοῦδε ξυνήψατο.*

DURIS SAMIUS.

Duris Samius, quem *hominem in historia diligentem vocat* Cicero Ep. ad Att. VI. 1., vixit Ptolemaei Philadelphi aetate. De eo vide Fabricium Bibl. Gr. I. 676. ibique Harles. Scripsit historiam Graecam, cuius librum decimum sextum laudat Athenaeus XII. p. 542. et vicesimum secundum idem XII. p. 535. Ut appareat, satis amplum fuisse opus. Initium tamen a Philippi demum cepit exordiis, ut novimus ex Diodoro XVI. 60. Unde intelligitur, quamquam hoc opus Nepoti haud fuerit incognitum, non tamen tanto ei usui fuisse, quam eius commentarium *περὶ τῶν Σαμίων ὅρων*.

ὥρων. Sic enim credo bene correxisse Schweighaeuserum ad Athenaeum pro ὅρων, ut opus sit: *Samiorum annales*, non vero agere intelligatur de Samiorum limitibus. Non quidem multa vestigia apud Nepotem invenio huius scriptoris, quae tamen ex eo hausta sunt, maximam partem ex posteriori hoc opere petita videntur. Huc refero, quod in Lysandro c. 1. scribit, hunc post devictos Athenienses elatum fuisse, et maxime sibi indulsisse. Nam Duris elati animi Lysandri plura exempla exhibet, apud Plutarchum in Lysandr. p. 433. Unde, cum appareat Duridem Lysandro non admodum favisse, in multis hunc scriptorem Nepotem in Lysandro consuluisse arbitror, cum nec magno eum favore prosequatur.

Quae Nepos tradit in Timotheo c. 3. generatim consentiunt cum iis, quae legimus apud Diod. Sic. XVI. 21. Scilicet Samium defecisse, eoque classem Athenienses misisse, cui expeditioni interfuerint Iphicrates et Timotheus, non duces, sed, ut sua, qua erant, auctoritate, et consilio, duci adessent. Pugna tamen est de duce, quem Nepos Menestheum, Diodorus Chareten fuisse testatur. In reliqua narratione Nepos Menesthei non amplius meminit, omniaque quae Chareti Diodorus, eidem Nepos tribuit, ut praestare videatur Diodori traditio. Quod deinceps refert, magnam ortam esse tempestatem, item tradit Diodorus, qui eam accidisse testatur cum Byzantium obsidebatur, Sami obsidione iam soluta; Nepos vero ad Samium eam accidisse scribit

 Eun-

Eundem tamen scriptorem utrumque secutum esse, ex consensu universae narrationis efficitur, tum ex iis, quae uterque memoriae prodidit de Timotheo et Iphicrate a Charete accusatis. Quem vero secuti sint, etsi certo dicere non habeo, Duridem tamen Samium crediderim, sive in Annalibus Samiorum, sive in Historia Graeca, quae ad haec tempora pertinuit; siquidem id temporis iam valens erat Philippus, ut Nepos ait. Hoc saltem affirmaverim Nepotem Theopompum non esse secutum, propter id, quod deinceps tradit, Timotheum odio ingratae civitatis coactum, Chalcidem sese contulisse, quum Theopompus tradiderit, eum Lesbum concessisse, apud Athenaeum XII. p. 532. Unde apparet, quam parum hac in re sibi constiterit Nepos, qui in Chabria ex Theopompo tradidisset, Lesbum Timotheum venisse, nunc vero alia omnia.

NEANTHES CYZICENUS.

Duridi aequalis fuit Neanthes Cyzicenus, discipulus Philisci, Milesii Oratoris, eius, qui Isocratis auditor fuerat, Suida auctore v. *Νεάνθης*. Meminit eius Strabo I. p. 76. Scripsit praeter alia, de quibus adi Harlesium ad Fabricium B. G. I. p. 684, *Ἑλληνικά*, quorum librum tertium et quartum citat Athenaeus XIII. p. 576. Hunc secutus Nepos, Themistoclis patrem uxorem duxis-

xisse Halicarnassiam civem, tradit in Them. c. 1. Ita enim memoriae prodidit Neanthes apud Plutarchum in vita init., ubi videbis de huius uxoris tum nomine, tum patria, inter scriptores non convenisse; cf. Aelianus V. H. XII. 43. Recedit autem ab eodem, ubi in hac vita c. 10. agit de urbibus Themistocli ab Artaxerxe concessis. Nam praeter tres, Magnesiam, Lampsacum, et Myunta, quas plerique auctores, eosque secutus Nepos, tantummodo memorant, Neanthes et Phanias commerarunt Percotam et Palaescepsin, ut constat ex Plutarcho Them. p. 127. et ex Athenaeo I. p. 29. Nepos Thucydidem secutus est.

ANAXIS ET DIONYSIODORUS.

Non aliam facile in Nepote vitam invenias, quae tantam laudis materiem auctori praebuerit, nullam item, quam tantis laudibus celebraverit, quam Epaminondae et Pelopidae. At paucae etiam sunt, quarum fontes indagare difficilius sit. Complectuntur quidem Xenophontis Hellenica horum duumvirorum tempora; vel hospes tamen in eius operibus is sit necesse est, qui nesciat, quantopere hic Lacedaemoniorum studiosus, illorum virorum laudes depresserit, ut adeo Nepos, quamquam in nonnullis eum Xenophontem consuluisse haud negamus, in vitis Epaminondae et Pelopidae, quae quasi utriusque sunt laudatio-

tiones, eum omnino sequi non potuerit. Frustra quaesieris in Pelopida Plutarchi, quem auctorem hic habuerit. Duces enim suos non memorat et non nisi ὡς ἐν παρόδῳ Ephori et Callisthenis meminit; ut comparatione instituta, ne sic quidem quicquam proficiamus. Quo magis dolemus eius Epaminondam ad nos non pervenisse, cum utraque vita ex eodem sine dubio fonte sit profecta. Lucis tamen nonnihil affulsit ex Diodoro; qui l. XV. extremo testatur Dionysiodorum et Anaxin scriptores Boeotios fuisse, qui rerum Graecarum historiam contexuerint, suasque narrationes persecuti sint ad initium imperii Philippi Macedonis. Scripta quidem eorum temporis iniuria perierunt, ipsorumque scriptorum nemo, quod sciam, praeter Diodorum miminit, nisi quod Dionysiodori mentio occurrat apud Diogenem Laertium in Socrate, Segm. 93. Hoc tamen iure statuas, cum illorum historia Epaminondae et Pelopidae aevum compressum sit, eos horum virorum res gestas accurate exposuisse. Fateor, non Thebarum solum; sed rerum Graecarum in universum historiam conscripserunt; at constat inter omnes, scriptores, qui universam historiam conscriberent, rebus in patria gestis memorandis operam semper navasse maximam. Qua tamen in re nonnulli modum non satis servarunt, ut Ephorus, qui, cum in historia, quam conscripsit rerum Graecarum, Cumaeorum suorum mentionem facere vellet, neque memorabile quid invenisset, id notavit: κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Κυμαῖοι τὰς ἡσυχίας ἦγον, ut testatur Strabo l.

l. XIII. p. 924, ob eamque rem risui se expofuit. Aliter tamen Thebae comparatae erant; quae tempore, cuius historiam Dionysiodorus et Anaxis conscripserunt, maxima valentes auctoritate, Graeciae principatum tenebant, atque adeo amplissimam auctoribus materiam praebebant. Maximam autem hanc potestatem Pelopidas et Epaminondas Thebis conciliaverant, qui deinceps perpetuo eas nobilitarunt, ita quidem, ut nisi illi fuisfent nati, Thebarum historia illius temporis aeque fuisfet ingloria et abiecta ac reliqui temporis, quod duumviros hos tum praecesfit, tum excepit: fiquidem Thebae, ut vere ait Nepos, ante Epaminondam natum et post eius interitum perpetuo alieno imperio paruerunt. Heroës adeo, ut aiunt, fuerunt Epaminondas et Pelopidas historiae, quam conscripserunt Anaxis et Dionysiodorus. Et fieri non potuit, quin, qui Thebarum historiam, quae Epaminondae et Pelopidae fuit temporibus, conscribere aggresfus esfet, is omnem horum virorum vitam delinearet. Nulla enim res accidit, cui sese hi non immiscerent, nulla sine eorum consilio suscepta, nulla absque eorum ope effecta; quo verius Nepos in Pelopida se vereri aiebat, ne si res explicare inciperet, non vitam eius enarrare, sed historiam videretur scribere. Et sane apparet Thebarum historiam illius temporis summa cum diligentia fuisse conscriptam, fiquidem tum apud Nepotem, tum apud Diodorum et in Plutarchi Pelopida, minutisfima quaeque reperimus, adeo ut Nepos, quum exprimere vellet imaginem consuetudinis atque vitae E-

Epaminondae, nihil fibi videretur debere praetermittere, quod ad eam declarandam pertineret; quod profecto fcribere non potuisset, nifi de eius genere, disciplinis, moribus, ingenii facultatibus, rebus gestis, caet., accuratisfime fibi esfet relatum. Quid quaeris? Cum Dionyfiodorus et Anaxis Thebarum historiam expofuerint et tum Nepos, tum Plutarchus Epaminondae et Pelopidae vitas accurate delenearint, nullus dubito ftatuere, utrumque hos fcriptores fecutum esfe. Diodorum certe in rebus, quae florentibus Thebis acciderunt, hos potisfimum auctores habuisfe, inde colligo, quod postquam hasce res expofuisfet, horum fcriptorum mentionem facit. Et ita faepius egit, ut aut initio narrationis, aut rebus demum expofitis, indicet quinam de iisdem fcripferint, non ut patefaceret eos fe esfe fecutum, quamquam eosdem duces in iis eum rebus habuisfe ipfae res confirmant. Sic. v. c. Theopompi Hellenica ubi inceperint, ubique defierint indicat XIII. 42. XIV. 84; et ubi initium ceperint eius Philippica, XVI. 3. Eodem modo Ephori historias memorat XVI. 76. Item Athanas ubi exorfus fit memoriae prodidit XV. 94. Et fic de aliis faepius. Cum tamen ipfum fontem, ex quo Nepos in vitis Epaminondae et Pelopidae haufer it, adire fata non fiverint, aliorum fcriptis collatis, age videamus, quomodo res fuas Nepos egerit.

Quamvis apud Diodorum pauca de Epaminonda expofita fint, huiusque vita a Plutarcho confcripta perierit, ea tamen apud illum in libro decimo quin-

quinto passim, praesertim capitibus 39 et 88, et apud hunc, tum in Pelopida tum in Apophthegm. Reg. de eius laudibus legimus, ut, quae Nepos tradit in eius vita, quae fere enumerandis eius virtutibus occupatur, cum illorum traditionibus universe consentiant. Otiosum foret singula ad partes vocare, cum omnia fere exscribenda essent; nam nihil fere apud Nepotem invenimus, quod non, sive a Diodoro, sive a Plutarcho, confirmetur, adeo quidem, ut ad eandem rem declarandam, eodem nonnunquam dicendi genere utantur, quod, si quid aliud, communem fontem indicat. Nam quod Nepos in Epaminonda extr. scribit: *Thebas et ante Epaminondam natum et post eius interitum perpetuo alieno paruisse imperio*, idem sic expressit Diodorus XV. 88: *τοιγαροῦν ἡ πατρὶς αὐτοῦ ζῶντος μὲν ἐκτήσατο τὴν ἡγεμονίαν τῆς Ἑλλάδος, τελευτήσαντος δὲ ταύτης ἐστερήθη.* Eadem expresserat c. 79. *εὐθέως καὶ τὰ τῶν Θηβαίων πράγματα τῇ τούτου τελευτῇ συναπέθανεν;* quibus non dissimilia dixit Orator Demades: *τῷ γὰρ Ἐπαμινώνδου σώματι συνέθαψε τὴν δύναμιν τῶν Θηβαίων ὁ καιρός.* Cf. Iustin. VI. 8. Una tamen in re aliquantum dissentire videntur Nepos et Diodorus. Hic enim XV. 87, cum mortiferum vulnus Epaminondas accepisset in pugna ad Mantineam, quemdam amicorum profusis lacrymis exclamasse scribit, quod sine liberis interiret, cui ille, *Μὰ Δία μὲν ἀλλὰ καταλείπω δύο θυγατέρας, τήν τε ἐν Λεύκτροις νίκην, καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ.*" Nepos vero *similem* reprehensionem Pelopidae tribuit, in Epam. c. 10.

Si-

Similem inquam, nam si quis putet, non eandem utrumque rem innuere, atque adeo dissensum magis videri quam esse, non admodum repugnabo, praesertim cum, quae Nepos scribit a Pelopida dicta, ut Epaminondam reprehenderet, eadem a Diodoro amicis tribuantur, qui mortem eius deflebant, et miserabantur, quod nullus paternarum virtutum heres esset futurus et stator. Accedit, quod, quae Nepos tradit, haud potuerunt accidere post pugnam ad Mantineam, quae vero Diodorus, ad Pelopidam non pertinere, quum hic duobus iam annis ante mortuus esset, ut adeo Nepos in hoc ἀποφθέγματι non huius pugnae, sed Leuctricae tantum meminerit.

In Pelopida convenit inter Nepotem et Diodorum XV. 20. ac Plutarchum in Pelop. p. 280. in iis, quae tradunt de Cadmea arce a Phoebida occupata, cum is exercitum Olynthum duceret. *Impulsu* autem *perpaucorum Thebanorum* hoc accidit, *qui Laconum rebus studebant*. Scilicet, Archiae, Leontidae et Philippi, quos memorat Plutarchus l. l. Item hic et Diodorus cum Nepote memoriae prodiderunt Phoebidam pecunia ob id multatum esse, centum millium drachmarum, ut addit Plutarchus, et imperium ei abrogatum esse, quia, ut Nepos scribit, *suo privato, non publico consilio* arcem occupaverat. Ubi tamen animadvertendum, Agesilai etiam monitu, quamquam adversantibus Lacedaemoniis, ad id Phoebidam esse adductum, teste Plutarcho, Agesil. p. 608 seq. Polybius l. IV. p. 296. ed. Casaub. neque obscure de-

declarat Lacedaemonios tacite hoc factum approbavisse. Ut etiam inde intelligitur, quod, licet Phoebidas poenas dederit, *neque tamen eo magis arcem Thebanis reddiderunt*, ut Nepos scribit. Cf. Plut. Pelop. l. l. Polyb. l. l. Quae si in mentem venissent Wesselingio, non nescivisset, ut fatebatur, unde acceperit Diodorus l. l. *τοῖς ἡγεμόσιν οἱ Σπαρτιάται παρήγγελλον ἐν ἀποῤῥήτοις, ἵν᾽ ἐάν ποτε καιρὸν λάβωσι, καταλάβωνται τὴν Καδμείαν.*

Quae deinde de Thebis liberatis exulumque reditu tradit non minus consentiunt cum iis, quae apud Plutarchum legimus, tum in Pelopida, tum in Genio Socratis. In minutissimis etiam. Nam quae refert, de agitato Pelopidae consilio, de Charone rei certiore facto, dein coniuratos vesperascente coelo (Plut. *ἔτι ἡμέρας οὔσης*) vestitu agresti et venatorum more Athenas reliquisse, eadem apud Plutarchum Pelop. p. 281 seq. copiosius legimus. Tum exules Thebas venisse, interim Athenis ab Archia hierophante epistolam adlatam esse Archiae, qui eo tempore maximum magistratum Thebis gerebat, quique eam, ut esset vinolentus cum caeteris, quod *seria eam continere* acceperat, sub pulvinum subiecerit, *in crastinum* clamans *differo res serias*, haec omnia etiam Plutarchus refert, qui addit Archiae dictum *οὐκοῦν εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα*, suo etiam tempore proverbii instar usurpatum esse.

Singula quaeque conferre longum esset. Nam, quamquam pauca apud Plutarchum frustra quaeras, v. c. Pelopidam missum esse legatum ad

Alexandrum Pheraeum, in caeteris ita inter Nepotem et Plutarchum convenit, ut satis appareat eosdem utrumque auctores habuisse. Qui vero hi fuerint, quamvis ad historicam evidentiam duci haud possit, vix tamen dubito, quin, qui tum Nepotis, tum Plutarchi et Diodori traditiones perlegerit, mihi assensurus sit, auctores, quos hi secuti sint, maxima cum diligentia has res conscripsisse; cum fieri aliter non potuerit, ut has res, praesertim illum exulum reditum, quo in toto Nepote vix alia res accuratius est tradita, tam copiose potuissent literis mandare. Cum autem sciamus, Dionysiodorum et Anaxin harum rerum historiam memoriae prodidisse, non temere coniicias, tum Nepotem, tum caeteros illos secutos esse.

ORATORES ATTICI.

Nullum est dubium quin praeter historicorum scripta item *Oratorum* opera magno usui Nepoti fuerint, in vitiis praesentim eorum, qui illorum aetate floruerunt. Eorum vestigia magnam partem in Nepote deprehendimus, cum de virorum virtutibus aut vitiis suum ipse iudicium profert. Erat enim ille mos Athenis, ut oratores in viris vel laudandis vel vituperandis ingenii acumen quisque suum ostenderent. Sic Antiphon,

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,

orationem scripsit adversus Alcibiadem (*Ἀλκιβιάδου λοι-*

λοιδορίας), quae citata ab Athenaeo XII. p. 525. et Plutarcho in Alcib. p. 192, periit. De hac oratione vide Bakium Bibl. Crit. N. vol. II. p. 83 seq. Quod autem haec oratio ab alio quodam Alcibiadis inimico potius, quam ab Antiphonte Rhamnusio scripta sit, ut Ionsius in Scholis Sophistarum autumavit, id duorum auctorum, quos citavi, testimoniis satis refutatur. Adversus Alcibiadem orationes etiam composuerunt Andocides et Lysias; hanc memorat Athenaeus IX. p. 408. et XIII. p. 574. Utraque etiamnunc exstat. Ut credere liceat ad hos potissimum tres oratores respexisse Nepotem, cum in Alcibiade c. 11. scripsit: *hunc infamatum esse a plerisque.* Ex eadem Antiphontis oratione hausit, quod in c. 2. eiusdem vitae scripsit, Alcibiadem, ineunte adolescentia amatum esse a multis; ita enim retulerat, teste Plutarcho l. l. *ἐν δὲ ταῖς Ἀντιφῶντος λοιδορίαις γέγραπται, ὅτι παῖς ὢν ἐκ τῆς οἰκίας ἀπέδρα πρὸς Δημοκράτη, τινὰ τῶν ἐραστῶν.* Andocidis autem orationem legit de mysteriis, quod perspicuum est, ex iis, quae in Alcibiade de Hermis deque violatis mysteriis tradidit, ut notavi ad Thucydidem.

Demosthenis etiam et Aeschinis, quos oratorum Atticorum principes facile dixeris, vestigia sunt in Nepote. Vix enim dubito, quin Demosthenis orationem adversus Leptinem legerit, eamque ad Chabriae vitam adhibuerit, siquidem huius res gestae in hac oratione commemorantur. Eundem secutus in Timotheo c. 1. scribit, hunc Olynthios et Byzantios bello subegisse: ita enim

Demosthenes in secunda Olynth. Ad eandem vitam legisse item videtur Demosthenis orationem in Timotheum, eamque fortasse ante oculos habuit, cum scriberet c. 4: Iasonem tyrannum ad illum defendendum Athenas venisse, nam ita Demosthenes: *αὐτὸν δὲ τοῦτον, ἐξαιτουμένων μὲν τῶν ἐπιτηδείων καὶ οἰκείων αὐτὸν ἁπάντων, ἔτι δὲ Ἀλκέτου καὶ Ἰάσωνος, συμμάχων ὄντων ὑμῖν, μόλις μὲν ἐπείσθητε ἀφεῖναι, στρατηγοῦντα δὲ αὐτὸν ἐπαύσατε.*

In Miltiade c. 6. quum pugnam ad Marathonem narrasset, Nepos quodammodo a proposito divertitur, ut aevi sui mores perstringat, caussam praebente Miltiadis gloria. Herodotus quidem VI. 132. Miltiadem prae caeteris memorat, traditque magnopere eius gloriam crevisse, de honoribus tamen, quos ei habitos refert Nepos, tacet. Videntur autem haec omnia desumta ex Aeschinis oratione adversus Ctesiphontem, ut iam viderunt Lambinus e Longolius. Ita Aeschines: *ἐνταῦθα ἡ ἐν Μαραθῶνι μάχη γέγραπται· τίς οὖν ἦν ὁ στρατηγός; οὑτωσὶ μὲν ἐρωτηθέντες ἅπαντες ἀποκρίναισθε ἄν, ὅτι Μιλτιάδης· ἐκεῖ δὲ οὐκ ἐπιγέγραπται· πῶς; οὐκ ᾔτησε τὴν δωρεὰν ταύτην; ᾔτησεν, ἀλλ' ὁ δῆμος οὐκ ἔδωκεν, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ὀνόματος συνεχώρησεν αὐτῷ πρώτῳ γραφῆναι παρακαλοῦντι τοὺς στρατιώτας.*

Nescio an, quae de Aristide refert Nepos, hunc in tanta paupertate decessisse, ut eius filiae publice alerentur, et de communi aerario, dotibus datis, collocarentur, ab Aeschine acceperit; nam plures ita tradidisse, efficitur ex Plutarcho in vita

imit.

init. Convenit certe Aeschinem inter et Nepotem, Ita enim ille in oratione adv. Ctesiph. extr. Ἀριστείδην δὲ, τὸν τοὺς φόρους τάξαντα τοῖς Ἕλλησιν, οὗ τελευτήσαντος τὰς θυγατέρας ἐξέδωκεν ὁ δῆμος. κ. τ. λ. Rem tamen alii, ut Demetrius Phalereus, in Socrate, in dubium vocarunt, teste Plutarcho l. l. In Iphicrate c. 2., quum scribit hunc bellum cum Thracibus gessisse, Nepotem respexisse ad ea, quae in Aeschinis Oratione de falsa legatione leguntur haud longe a principio, supra notavi.

Perspicuum autem est Nepotem ibidem, quum traderet Iphicratem moram Lacedaemoniorum intercepisse, quod maxime tota celebratum sit Graecia, respexisse ad Oratores, qui perpetuo eum celebrarunt διὰ τὸ κατακεκόφθαι ὑπ' αὐτοῦ τὴν μόραν. Demosthen. in Aristocr. Hinc Aeschines, Or. adv. Ctesiph.: ἐπερώτησον δὴ τοὺς δικαστὰς, εἰ ἐγίνωσκον Χαβρίαν, καὶ Ἰφικράτην, καὶ Τιμόθεον, καὶ πυθοῦ παρ' αὐτῶν, διὰ τί τὰς δωρεὰς αὐτοῖς ἔδοσαν, καὶ τὰς εἰκόνας ἔστησαν· ἅπαντες γὰρ ἅμα σοι ἀποκρινοῦνται, ὅτι Χαβρίᾳ μὲν, διὰ τὴν περὶ Νάξον ναυμαχίαν, Ἰφικράτει δὲ, ὅτι μόραν Λακεδαιμονίων ἀπέκτεινε, Τιμοθέῳ δὲ, διὰ τὸν περίπλουν τὸν εἰς Κέρκυραν. Locus egregius, et Nepoti sine dubio cognitus, ex quo ei hos triumviros celebranti non parum adiumenti accessit. Ad illum certe respexisse videtur, tum in h. l., tum in Timotheo c. 2. in verbis: *idem classi praefectus circumvehens Peloponnesum* caet. — In Chabria tamen Nepos, qui subinde nimium brevitati studebat, cum multas a-

alias res memoria dignas omisit, tum eius victoriam, navalem apud Naxum, de qua Diodorus XV. 34 seq. Haec tamen victoria causa fuit, cur Aeschines laudibus eum prosequeretur, neque immerito, siquidem tantam haec victoria gloriam Atheniensibus attulit, ut hi, teste Plutarcho, de glor. Athen. diem, quo haec reportata erat, ceu festum celebrare soliti fuerint.

Caeterorum Oratorum operibus usum esse Nepotem vix dubitamus. Multa enim ei suppeditarunt, si viri laudibus essent celebrandi aut dedecore notandi. Nam, ut hoc utar, cum in Isocratis Philippicis multa inessent, quae ad Cononem aliosque pertinerent, eum has orationes legisse statuere licet.

SEC-

SECTIO ALTERA.

De scriptoribus, quos Nepos, nisi secutus est, consuluisse saltem videtur.

CHARON LAMPSACENUS.

Ex his igitur fontibus inveni hausisse Nepotem in vitis excellentium Imperatorum Graecorum, adeo ut, tametsi ipsos scriptores nominatim non nisi raro memoraverit, eorum tamen verba subinde exscripserit. Sunt alii, quos Nepotem non quidem secutum, at consuluisse ex illorum operum ratione appareat.

Charontem Lampsacenum an consuluerit Nepos valde dubito. Fuit is Herodoto aetate maior, ut Dionysius Hal. testatur, et Tertullianus de animo c. 46 Vixit enim Olympiade septuagesima quinta, si Suidae fides. Teste eodem bella Persica conscripsit duobus libris, quos citat Athenaeus IX. p. 394. Hos adeo libros in nonnullis vitis egregie consulere potuit, praesertim, si, ut videtur, Plutarchi etiam tempore supererant. Commemoraverat Charon Themistoclem ad Artaxerxem in Asia venisse, ut novimus ex Plutarcho Them. p. 125. Alii alia tradiderant, ut saepius vidimus. De Charonte itaque in primis cogitandum est in

verbis Nepotis Them. c. 9: *sed ego potissimum Thucydidi credo, quod aetate proximus erat his, qui illorum temporum historiam reliquerunt.* Locum autem intelligo non, ut indicare voluisse videatur auctor, ideo se Thucydidi credere, quod omnium, qui earum rerum historiam reliquerunt, temporibus, quibus hae res acciderunt, proximus erat, ut intellexit Staverenus, quod omnino verum non est, nam Charon Thucydidem praecessit; sed quoniam aliorum, ut Ephori, Dinonis, Clitarchi, aliorumque proximus erat illis scriptoribus, qui rerum aequales, eas ipsi literis mandaverant, ut Charonti. Atque hanc ob caussam lego: proximus *his*, non *de his*, aut *de iis*, quod nonnulli voluerunt. Charontem tamen consuluisse Nepos non videtur, ut ex hoc loco intelligitur. Si enim eum consuluisset, quidni eum nominasset, utpote ipsum fontem, prae Thucydide, praesertim cum verosimile sit, hunc ipsum ex illo haec tradidisse? Sive, ut aliis verbis utar, Themistoclem ad Artaxerxem venisse Nepos tradidisset, non quod Thucydidi potissimum crederet, ut scriptoribus rerum aequalibus proximo, sed quod Charon, Herodoto, atque adeo Thucydide maior, ita retulisset.

STESIMBROTUS.

Alia res est de Stesimbroto. Hic patria Thasius Artaxerxis primi aetate floruit; fuit enim

Ci-

Cimonis Miltiadis filii aequalis, ut Plutarchus testatur in Cim. p. 480. *Στησίμβροτος δ' ὁ Θάσιος, περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον τῷ Κίμωνι γεγονώς.* Scripsit de principibus sui temporis viris, qui liber titulum ferebat, *de Themistocle*, *Thucydide*, *Pericle*, quomodo citatur ab Athenaeo XIII. p. 589. Hunc consuluisse videtur Nepos, immo fortasse secutus est in Themistocle, quando c. 1. de eo scribebat: *quum minus probatus esset parentibus, quod et liberius vivebat, et rem familiarem negligebat, a patre exheredatus est.* Nam cum Plutarchus id commemorans in Them. p. 112, rem fictam arbitretur, narratio fortasse profecta fuerit e Stesimbroto, quem Plutarchus, ut satis intelligitur, Themistoclis calumniatorem iudicabat, cuique adeo non magnam fidem habuisse videtur. Hanc saltem rem praeter Plutarchum negant alii; ut Critias, qui apud Aelianus X. 17. testatur, Themistoclem, antequam rempublicam gerere aggressus esset, trium talentorum rem, hereditatem paternam, habuisse; cum quo consentit Theophrastus apud Plutarch. Them. c. 25; quod satis amplum patrimonium erat, pro temporum illorum ratione, docente Perizonio ad h. l. Alii vero rem affirmant; vid. Aelianum II. 12. Valerium Max. IV. 9.

Recedit vero Nepos a Stesimbroto, quum in Cimone c. 2. de hoc tradit, (ex Platone, ut supra notavi), habuisse eum satis eloquentiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam, cum iuris civilis, tum rei militaris. Stesimbrotus enim apud

 Plu-

Plutarchum in vita p. 480, nulla eum memorat instructum fuisse liberali disciplina Graecisque usitata, et ab Attica urbanitate et leporibus quam remotissimum.

HERACLIDES PONTICUS. CLITARCHUS.

In loco saepius iam laudato, Them. c. 9. *Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem, Xerxe regnante, in Asiam transiisse*, praeterquam ad alios, quos indicavi, item respexit ad Heraclidem et Clitarchum. Hos enim Plutarchus in Themistocle memorat inter scriptores, qui ita retulissent; eorum adeo scripta consuluit Nepos. Heraclides Ponticus non confundendus est, cum duobus aliis eiusdem nominis, altero poeta qui Caii Claudii et Neronis temporibus vixit, cuius meminit Suidas in voce et in ἀντέρως; historico altero, Odessi nato, de quo Stephanus in Ὀδησσός. Noster philosophus fuit, qui primum Platonem audivit, ut cum Diogene Laert. in Platon. Segm. 78. testatur Cicero de Divin. I. 23., deinde ad Speusippum se applicavit, eodem Laertio teste in eius vita init., sed in primis tamen Aristotelis erat discipulus, ut scripsit Sotion ἐν διαδοχαῖς apud eundem ibid. Hic quamquam philosophiae potissimum studuit, deque ea multa scriptitavit, omnia κάλλιστα καὶ ἄριστα, Laertio iudice, quae tamen omnia perierunt, praeter fragmenta operis περὶ πολιτείας, historiae item operam navavit. Scripsit enim de Pythagoreis et de

de inventis, quae duo solum opera ad historica retulit Laertius, ad quae tamen etiam pertinere eius libros περὶ βίων, cum Vossio censeo, quanquam Laertius ea inter φυσικά recenset. Hos igitur libros de vitis consuluisse Nepotem crediderim, ad eosque respexisse in loco cit. Clitarchus, filius Dinonis, eius, cuius supra memini, Alexandri magni aetate vixit eiusque in expeditionibus comes fuit. Scripsit historiam rerum Alexandri. Hoc opus laudat Athenaeus IV. p. 149. et passim; ut quomodo Plutarchus in Themistoclis vita eum citare potuerit, merito quaesivisset Heerenius de font. et auct. Plutarchi p. 25. nisi in alio opere Themistoclem commemorare potuisset, Γλῶσσαι inscripto, ab Athenaeo laudato VI. p. 267. VII. p. 285. XI. p. 468. et saepius. Fidei non multum ei habuit Cicero. Vid. Brut. c. 11. Iudice etiam Quinctiliano Instit. Or. X. 1. *Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.*

TIMONIDES.

Timonidi, Dionis amico et commilitoni, in rebus ad hunc pertinentibus, magis quam Timaeo credidit; Plutarchus in Dione p. 972. Scripsit Nepos in Dione c. 4. Dionysium, absente Dione, huius filium sic educari iussisse, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Cur filii nomen non addidit? Nomen enim filio Aretaei erat secun-

eundum Timaeum, at Hipparini, Timonide au
Plut. l. l. Rem adeo in medio reliquit: ut
dam Nepotem, Timonidis traditionem cum T.
contulisse. Cum autem Timonides familiaritate l
fuerit coniunctus, de eo non pauca ipsum ret
statuere licet, ob eamque rem, multa, in l
vita apud Nepotem obvia, quorum fons certo in
nequeat, a Timonide, addo etiam ex Athana,
petita.

ATHANAS ET PHILISTUS.

Athanas hic sive Athanis, ut vocatur a Pl
Timol. p. 247. Syracusanus, incertae a
scriptor, res Siculas literis mandavit XIII li
exorsus a Dione, teste Diodoro Sic. XV.
quo auctore, annorum septem historiam,
Philistus intactam reliquerat, libro uno co
hendit. Sunt hi septem anni posteriores Di
iunioris, ut vel inde intelligitur, quod quae
naeus ex illo libro citat, ad illum potissimum
tinent. Vid. Athenaeum III. p. 98. Idem
constat ex Diodoro, quo auctore XV. 89. P
tus Dionysii iunioris historiam, duobus libris e
tus eam finiit in Olymp. CIV. 2. Dionysius
patri successerat Ol. CIII. ann. 1. et per
decim annos imperium tenuit. Idem XV.
Hoc vero opus ne confundatur cum alio:
idcirco moneo, quoniam nonnullos, qui id
rent, et postremum opus negligerent inveni,

Vossium esse
opus de rebus
. quarum prior
Agrigento.
constat.
imperii
Neutrum
potuit
conscripsit.
in Dioce
tradit.
de rebus
tum in
hanc
Plutarchus

HEGESANDER.

ubi scribit hujus
, quum jura
. non
proferre testimonia.
postea videtur Nepos
apud Athenas

p. 419. cf. Aelianus. V. H. II. 18. et Cicero T. Q. V. 35. Ut haud temere credas haec ὑπομνήματα Nepotem consuluisse. Scriptor est incertae aetatis. Ptolemaeo tamen Philadelpho antiquior esse non potest, docente Vossio de Hist. Gr. p. 175. Opportunitate huius loci animadverto: quod Nepos in eadem hac vita c. 1. scripsit: *Timotheus a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minus civitatis regendae,* idem testatum esse Ciceronem. *Timotheus*, inquit, de Off. I. 32. *Cononis filius, qui, cum belli laude non inferior fuisset, quam pater, ad eam laudem, doctrinae et ingenii gloriam adiecit.*

DIODORUS PERIEGETES.

Ad Diodorum Periegetem, incertae item aetatis scriptorem, fortasse respexit Nepos, quum in Themist. c. ultim. scribebat, huius duo monumenta mansisse, unum, sepulcrum prope oppidum, in quo sepultus sit. Nam de hoc sepulcro egit Diodorus in libri περὶ τῶν μνημάτων, ut novimus ex Plutarcho, Themist. extr., qui tamen addit, eum hac de re scripsisse, ὡς ὑπονοῶν μᾶλλον, ἢ γινώσκων.

Os-

Ostendi quos auctores Nepos secutus sit, quos consuluerit. Quod ne quis ita interpretetur, ac si intelligi velim, singulorum omnium locorum fontes me indicavisse. Supersunt enim, quae ex incognitis scriptorum locis depromta sint, quorum adeo fontes, nisi coniecturis nimis temere indulgere velimus, indicare omnino non possumus. Sic, quod in Pausania c. 5. scribit, huius matrem ad filium claudendum lapidem ad introitum aedis attulisse, unde hauserit, nescimus. Nam quamquam Chrysermus Corinthius apud Stobaeum eandem rem memorat, hunc tamen Nepotem non habuisse auctorem, inde apparet, quod Chrysermus patri illud non matri tribuit, quo cum consentit Plutarchus; cf. quae notavi ad locum de Thucydide.

In Dione praesertim loca sunt, quae ad fontem suum non facile reducas. Traditur in hac vita c. 6. post devictum Dionysium a Dione, inter hunc et Heraclidem dissensionem ortam esse; quod quidem confirmatur a Plutarcho in Dione p. 981. et Diodoro XVI. 17. quamquam diverso illud modo narrantibus. Quem vero Nepos secutus sit, omnino ignoratur, propter ea potissimum, quae sequuntur, quod scilicet Dion illud Homericum retulerit: *non posse bene geri rempublicam multorum imperiis.* Hac enim de re alii omnes scriptores tacent. Negare certe audeo, Philistum illud literis mandasse, quae Staverenii est coniectura. Nam Philisti historiae Dionysii Iunioris septem posteriores annos, neque adeo Dionis res gestas, complexae sunt. Accedit, quod, quo tempore illud

eve-

evenit, Philistus iam interierit. Vid. Diod. XVI. 16. Quo melius fecit idem Staverenus; quod nemini obtruserit hanc coniecturam, quam *ortam*, ait, *ex ignoratione scriptorum, qui hoc dictum Homericum, a Dione ad tyrannidem firmandam prolatam, retulerunt.* Ut adeo nullo certo testimonio freti, statuere possimus ea in re Timaeumne Nepos secutus sit, an Timonidem, Athanam, Theopompum, Ephorum, an vero alium. Quae deinde de Dionis interitu, Callicratidis opera perpetrato, tradit c. 8 et 9., adhuc nescio ex quo scriptore petiverit. Plutarchus sub finem vitae Dionis rem eandem tradidit, auctoris tamen nomine omisso; ubi tamen animadvertas, viro nomen esse Callippum, uti etiam vocatur ab Athenaeo XI. extr. Rem item tetigit Plato Ep. VII. p. 534.; ita tamen, ut ex eo Nepos hausisse non videatur. Arbitror tamen, et haec, et quae de filii Dionis morte tradiderat, c. 4, qui de superiore parte aedium se deiecerit, ab eodem scriptore petita esse, quod utrumque a Plutarcho eadem narratione relatum est; tum vero Nepotem eundem ac Plutarchum, auctorem secutum esse. Plutarcho autem magnam Timonidis auctoritatem fuisse, supra notavi.

Inter loca ex incognitis fontibus profecta, Datamis inprimis vita referenda est. Eoque magis hi lateant necesse est, quod Nepos ipse fatebatur initio huius vitae, obscuriora eius gesta pleraque esse. Vide Ernstium et Loccenium ad h. l. Pertinet quidem Duridis Samii historia ad

eius

eius tempora; vide Diodorum XV. 60. Nepotem tamen quae ad Datamis vitam pertinerent, ex eo hausisse, coniici magis, quam certo dici potest. Cum Nepote cf. Diodorus XV, ubi inprimis c. 90. seq. Datamis res gestas exposuit.

Neque certiores sumus in Phocionis vita. Pleraque in ea exposita, etiam legimus apud Diodorum XVIII, praesertim vero apud Plutarchum; quamquam nonnulla ab hoc aliter quodammodo tradita sunt. Huc refero quod Nepos scripsit, Phocionem munera sibi a Rege Macedonum oblata repudiasse, qua in re Nepos Philippum, Plutarchus vero p. 749. Alexandrum memorat. Frustra tamen quaesieris quos fontes Plutarchus adierit, qui eos plane reticet, nisi quod obiter Duridis et Idomenei mentionem iniiciat. Eundem autem Phocionis mores tantum exprimere voluisse, de eius vero rebus gestis ieiune admodum et stricte disseruisse, unde non possit absolvi, quin supine et negligenter eius viri vitam scripserit, Palmerii animadversio est ad Diodor. XVI. 42. Laetabar autem maxime cum haec nota mihi succurrebat, quod perlegenti mihi Phocionis vitam apud Plutarchum, idem videbatur, atque sic iudicium meum confirmabatur summi viri auctoritate. Quod autem de Plutarcho bene notat Heerenius: abundare eius vitam Phocionis narratiunculis, idem locum obtinet in Nepotis Phocionis vita, quod, qui eam vel inspexerit, statim videbit; unde collectio narrationum potius, quam vera vitae descriptio videatur. Ut crediderim talem collectionem narrationum, in

 qui-

quibus congerendis tempus quidam conterebant, magis ante oculos Nepotem habuisse, quam peculiarem quemdam scriptorem. Atque eam fortasse ob caussam Nepos initio huius vitae dixit, militaris laboris Phocionis memoriam esse nullam, integritatis autem vitae magnam famam. Licet tamen monere nonnulla apud Nepotem inveniri, quae eius integritati vitae non parum detrahant, atque adeo eius cognomen *Boni*, quod Suidas in Φωκίων aliique ei tributum testantur, quodammodo minuant.

Haec loca et alia forsasse, quae praetervide-rim, quorum tamen numerum non magnum esse confido, quod maximam dedi operam, ut suus cuiusque loci fons indicaretur, an aliis innotuerit unde Nepos hauserit, nescio; mihi quidem non apparuit. Malo autem ignorantiam fateri, ad quod faciendum et alias non raro, et nunc cogit monumentorum defectus, quam committere ut falsi quid proferatur, levibus coniecturis innixum, quibus tum in aliis disciplinarum generibus non nisi caute indulgendum est, tum vero in historia, in qua ad veritatem quaeque referuntur. Ab alia vero parte praeter scriptores, quos memoravi, alios Nepotem inspexisse, operum quidem illorum ratio quodammodo indicat, ut Clearchum Solensem, cuius meminit Athenaeus XIII. p. 589, qui inter alia, libros scripsit περὶ βίων, et, quod historicum etiam esse arbitratur Vossius de Hist. Gr. p. 70, opus ἐρωτικῶν. Tum Idomeneum Lampsacenum et Possin Magnesium, qui praeter Amazonum historiam citatam ab Athenaeo VII. p. 296, res Magnesiorum

rum conſcripſit, quarum librum tertium citat idem XII. p. 533. Potuit Nepos horum opera ad Themistoclis vitam adhibere, cum eos de hoc retulisſe conſtet ex Athenaeo l. l. Quid vero ex iis ſumſerit haud ita facile dixeris, cum illorum ſcripta perierint, quaeque apud Nepotem leguntur, in eorum, quae ſuperſunt, fragmentis, non reperiantur. Idem est de Theophrasto, qui praeter alia, numero permulta, ſcripſit περὶ βίων libros tres. Diogen. Laert. in vita, Segm. 77. In his de Themistocle et Alcibiade egit, ut colligo ex Plutarcho, qui in hisce vitis eum citat. Item quaeri potest de Theophrasti discipulo Demetrio Phalereo, quem, quod ad dicendi genus attinet, omnium politisſimum iudicavit Cicero de Orat. II. 23. Hic certe in Aristidis vita conſuli potuit, cuius vitam conſcripſit, teste Diogene Laertio in ejus vita, Segm. 110. Plutarchus ſaltem hoc libro uſus est in Aristid. p. 321. Et hauſit fortasſe ex eo Nepos quod in Miltiade c. 6. ſcribit: Athenienſes trecentas ſtatuas Demetrio Phalereo decrevisſe, ubi tamen notandum est, eum rotundo numero uſum esſe, cum alii ſcriptores trecentas ſexaginta numerarent; ut Diog. Laert. in vita init. et Plinius H. N. XXXIV. 6. Quibuscum conſentiunt fere illa Varronis:

Hic Demetrius aeneas tot aptu'st,
Quot luces habet annus abſolutus.

Horum ſcriptorum operibus uſusne ſit Nepos nec ne, non omnino apparet; ut noluerim eos referre in ordinem eorum, quos certius ſcio eum aut ſecutum esſe aut conſuluisſe.

PARS POSTERIOR.

DE FONTIBUS ET AUCTORITATE CORNELII NEPOTIS IN VITIS HAMILCARIS, HANNIBALIS ET CATONIS. (*)

Quod plerumque accidit, ut ſusceptus labor durior, confectus levior putetur, praeſertim ſi cum iis, quae peragenda ſuperſunt comparetur, idem incipienti mihi fontes Nepotis in hisce vitis investigare evenit. Nam ut, antequam inquirere inſtitueram, quos fontes Nepos adierit in vitis excellentium Imperatorum Graecorum, difficilior mihi viſa est haec inquiſitio, nec diffiteor multas in ſuperioribus mihi ſe obtuliſſe difficultates; nunc tamen inſtituenti mihi idem de caeteris multo hic labor difficilior apparet. Cuius rei cauſſa haec habenda est, quod ſcriptorum, qui res Graecorum memoriae prodiderunt, etſi multa monumenta interierint, plura tamen ſuperſunt, quam eorum, qui Carthaginienſum et Romanorum res gestas literis con-

(*) De vita Attici commemorare nil attinet. Nam cum is Nepotis esſet aequalis, ob eam cauſſam, eius vita a Nepote conſcripta germanus fons habenda est, niſi quod aliorum, item aequalium, ut Ciceronis, forſan etiam ipſius Attici, ſcripta conſuluerit.

consignarunt, et quod, quae hodie de his leguntur, rivuli magis ex fontibus ducti, quam fontes ipsi habenda sunt. Nam, ut hoc utar, etsi Polybius eorum, qui quidem supersunt, omnium est antiquissimus, et Nepos eius scriptis usus est, is tamen eum rerum, quas tradidit ad nostrum propositum pertinentes, aequalis non esset, aliorum, illarum aetate florentium, scripta ipse consulere debuit.

SILENUS ET SOSILUS.

Inter hos scriptores rerum aequales fuere in primis Silenus et Sosilus Lacedaemonius, atque hoc Hannibal literarum Graecarum usus est doctore. Illius verum nomen fuit Silenus. Sic enim vocatur a Livio XXVI. 49. et a Cicerone de Divin. I. 24. Non igitur Philenius aut Philaenius, quomodo antea apud Nepotem legebatur, vocandus est; hoc enim nomen a nemine veterum memoratur; nec valet coniectura Vossii *Philinus* reponentis ex Polybio; nam quem Polybius memorat, I. p. 13 seq., is historiam belli Punici primi conscripsit, ille vero res Hannibalis, ut constat, tum ex aliis tum ex Cicerone l. l. Diversa de eo veterum sunt iudicia. Dionysio Hal. Ant. I. dicitur non debita cura ac diligentia, sed ex fortuitis rumoribus historiam composuisse. Cicero vero l. l. iudicavit diligentissime res Hannibalis eum persecutum esse, et Coelium Antipatrum ei fidem habuisse credere

licet, ſiquidem eum ſecutus est, teste Cicerone l. l. Quis Soſilus fuerit docet Diod. Sic. l. XXVI: Ecl. 3. *Σώσιλος δὲ ὁ Ἴλιος τὰ περὶ Ἀννίβαν ἔγραψεν ἐν βιβλίοις ἑπτά.* Polybio historici nomine indignus videbatur, ita enim III. p. 175. *οἷα γράφει Χαιρέας καὶ Σώσιλος οὐδὲν ἂν δέοι πλέον λέγειν· οὐ γὰρ ἱστορίας, ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς ἔμοιγε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν.* Nepoti tamen Silenus et Soſilus probati ſcriptores habiti videntur, cum, postquam memorasſet, multos Hannibalis res gestas memoriae prodidisſe, addat, *ſed ex his, duo, qui cum eo in castris fuerunt, ſimulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Silenus et Soſilus Lacedaemonius.* Ut dubitari vix posſit, quin eos multum ſecutus ſit, tum quod eos prae caeteris memoravit, tum quod Hannibalis res gestas eximie extollit, ut Romanus ſcilicet; atque haud est cur negemus, idem Silenum et Soſilum fecisſe, quum hi cum eo in castris fuisſent, et hoc magistro Hannibal uſus esſet. Cum tamen utriusque opera interierint, dici nequit, quid ex iis ſumſerit. Atque hinc fortasſe, quod multa loca in vita Hannibalis ad ſuum fontem reducere non posſumus, quae certe ex Polybio, quem in aliis adhibuit, hausta non ſunt. Ut quod ſtatim initio huius vitae ſcripſit, *niſi domi civium ſuorum invidia debilitatus esſet* [Hannibal], *Romanos videretur ſuperare potuisſe.* Ita enim alios retulisſe, quos Nepos ſecutus ſit, apparet, quod Livius idem memorat, qui ipſum Hannibalem ſic dicentem facit l. XXX. 20: *Vicit ergo Hanniba-*

balem non populus Romanus toties caesus fugatusque, sed Senatus Carthaginiensis obtrectatione atque invidia. Idem expressit Mithridates apud Iustinum, ex Trogo Pompeio XXXVIII. 4: *Annibalem sexdecim annis Italiae victorem immoratum; et quin ipsam caperet urbem, non Romanorum illi vires obstitisse, sed domesticae aemulationis atque invidiae studium.* Quae procul dubio omnia ex eodem fonte sunt profecta.

Tum in iis, quae tradit c. 2.; *nam ut omittam Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis*, suum secutus est auctorem, qui ita retulisset. Livius enim XXXIII. extr. item memorat, legatos exposuisse: *Compertum patribus Romanis esse, Philippum regem ante ab Hannibale maxime accensum, bellum populo Romano fecisse;* antea autem prodiderat, Philippum foedus cum Hannibale amicitiamque iunxisse. Vid. XXII. 33. Eademque de re intelligendus est Iustinus XXIX. 4.

Neque certius est, unde hauserit, quod in c. 3. de Alpibus tradit, quas nemo ante Hannibalem, praeter Herculem Graium transiisset, quo facto, is saltus Graius appellatus esset. Ex Polybio certe haec non hausit, ut intelligitur ex l. III. p. 200 sq., ex quo tamen loco apparet, hunc non latuisse, quid alii de Alpibus tradiderint. Fuisse autem, qui ita tradidissent, constat ex Livio V. 34, qui tamen inter fabulas rem recensuit. Et merito, ut statuit Wesselingius ad Diod. IV. 19., qui eandem rem retulerat.

Quae vero c. 4. tradit, maxima difficultate

laborant: nam, conflixisse Hannibalem apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione, quod deinceps c. 6. repetit, Polybius non memorat; etiamsi transitum Rhodani narrans, III. p. 195 seq. Immo Livius XXI. 32, Scipionem refert, triduo fere postquam Hannibal ab ripa Rhodani moverat, quadrato agmine ad castra hostium venisse. Nec memorat Polybius Hannibalem Apenninum transisse, ut Nepos; et Livius XXI. c. 59. atrocem scribit adortam tempestatem eum prohibuisse, quominus Apenninum superaret. Nepoti tamen quodammodo assentitur Silius Italicus l. IV. extr.

Iudicium de Hannibale, quum de eo Nepos dicit: *quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit; nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit*, ex suone ipse ingenio, an alium secutus tulerit, non ausim statuere. Hoc tamen crediderim propter Diodori verba, Excerp. de Virt. et Vit., Op. II. p. 575. ὥστε διὰ τὸ πλῆθος τῶν κατακοπτομένων ὑπ᾽ αὐτοῦ, μηδένα ποτὲ τολμᾶν ἔτι κατὰ στόμα μάχεσθαι πρὸς αὐτόν. Quae cum gemina sint Nepoteis, ex communi fonte utriusque verba profecta videntur.

In c. 7. Magonem memorat post pugnam ad Zamam superstitem. Quamquam addubitavit Bosius an verba: *itemque Mago frater eius*, germana essent; satis tamen apparet Nepotem in vivis hoc tempore eum credidisse, siquidem paulo post et iterum c. 8. idem memorat. Sin vero Livium adeas XXX. 19, videbis Magonem, cum in Africam traiiceret, vixdum superata Sardinia, ex vulnere mor-

tu-

tuum esse. Habuit tamen Nepos auctores, quos sequeretur, et eosdem probabiliter, quos adhibuit Appianus, qui item illo tempore Magonem superstitem scripsit. Hoc enim auctore (de reb. Punic. c. 54. ed. Schweigh.) inter conditiones, quibus Romani Carthaginiensibus pacem dederunt, hoc exegerant, ἐν δ' ἑξήκοντα ἡμέραις Μάγωνα χωρὶ Λιγύων ἀποστῆναι. Opportuna est Stavereni observatio ad h. l. plures fuisse Magones, unde confusa sit historia. Cum nonnulli Magoni Hannibalis fratri tribuerent, quae ad alium huius nominis pertinuerint. Atque hinc etiam quod Nepotis aetate, de Magonis interitu duplex fuit memoria, ut ipse testatur.

Quae de legatis Carthaginiensium tradit, c. 7, qui Romam missi, *peterent, ut obsides eorum Fregellis essent, captivique redderentur*, nec Polybius, nec Livius, neque Appianus refert, ut appareat Nepotem, alios auctores secutum esse. Nam quae Livius refert, XXXII. 2. ad alia pertinent, et sequenti demum anno, L. Cornelio Lentulo et Publ. Villio Cosf. (Vid. id. ibid. c. 6.) acciderunt, ut bene notavit Bosius.

Quod legimus c. 7. Hannibalem praetorem factum esse, in quo magistratu pari diligentia se praebuerit, ac fuerat in bello, in primis quod ad vectigalia attinebat; legatos deinde Romanorum Carthaginem venisse, quos Hannibal sui exposcendi gratia missos ratus, in Syriam ad Antiochum profugerit, ita cum Livianis XXXIII. 46, ubi copiosius haec narrantur, consentiunt, ut commu-

 nem

nem fontem facile agnoscas. De tempore tamen inter eosdem non convenit. Nepos enim Marco Claudio et Lucio Furio Cosſ., quos Livius memorat XXXIII. 24.; hic vero anno post L. Valerio Flacco et M. Porcio legatos Carthaginem venisſe refert.

Magis discrepat a Livio Nepos quando ſcribit c. 8, Hannibalem cum quinque navibus Africam acceſsiſse, ſi forte Carthaginienſes ad bellum contra Romanos inducere posſet. Livio quidem auctore XXXIV. 60. Hannibalis ſententia erat, *ſe claſſe primum Africam petiturum; magnopere confidere, et Karthaginienſes ad rebellandum ab ſe compelli posſe;* ex capite tamen ſequenti apparet, non ipſum Carthaginem venisſe, ſed, ne literas quidem ſcribere auſum, Aristonem quemdam Syrium eo miſisſe. Qui disſenſus diverſum fontem ſatis indicat.

Apparet, quam difficile ſaepe ſit, ut ſupra dictum est, fontes indicare. Nolui tamen dubia haec loca omittere, partim, quod veroſimile est, niſi omnia, multa ſaltem a Sileno et Soſilo esſe petita. Siquidem existimandum est, ſcriptorem multa ſumſisſe ex illis, quos maximi fecit, ut hos Nepos; partim, ut, ſive horum ſive aliorum ſcriptis uſus ſit, ostenderetur, quatenus cum aliis conſentiat aut ab iis disſentiat.

M. PORCIUS CATO.

M. Porcii Catonis opera quin Nepos consuluerit, eiusque auctoritatem saepius sit secutus, haud potest dubitari. Hunc enim ob reconditam lateque patentem doctrinam et ob eximium dicendi genus, hunc, quo nemo gravior in laudando, acerbior in vituperando, in sententiis argutior, in docendo edisserendoque subtilior, ut Cicero iudicavit, Brut. 17, magni fecerunt omnes. Quid? Cum ipse Nepos ingenii eius dotes eximie extulerit et historiae scientiam Catonis tanti fecerit, ut diceret, non facile reperiri posse, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Sed ipsum audiamus Nepotem: *In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria. Nam et agricola solers et reipublicae peritus, et iurisconsultus, et magnus imperator et probabilis orator, et cupidissimus literarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum in eis progressum fecit, ut non facile reperire possis, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum.* Praeter alia opera, ad nostrum propositum quod attinet, scripsit *historias*, sive *Origines*, nam unum idemque opus hoc fuisse, et ex Nepote statim videbimus et satis, adversus Christophorum Colerum, in notis ad Sallustium, ostendit Vossius de Hist. Lat. p. 7. Idem opus *Annales* vocat Livius Epit. libr. XLIX. Argumentum operis indicavit Nepos: *Senex scribere historias instituit, quarum sunt libri sep-*

feptem. Primus continet res gestas Regum populi Romani; fecundus et tertius, unde quaeque civitas orta fit Italica. Ob quam rem omnes Origines videtur appellasfe. In quarto autem bellum Punicum primum, in quinto fecundum. Atque haec omnia capitulatim funt dicta. Reliqua bella pari modo perfecutus est, usque ad praeturam Ser. Galbae, qui diripuit Lufitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, fed fine nominibus res notavit. In iisdem expofuit quae in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. Credendum igitur est Nepotem hos Originum libros adhibuisfe ad confcribendas Hamilcaris et potisfimum Hannibalis vitas, cum huius Cato esfet aequalis, (nam florere maxime coepit bello Punico fecundo), et quo magnificentius de eo iudicavit, eo plura ex eo haufisfe, quamquam et hic operis iactura prohibet, quominus fingula loca indicemus. Vitam autem Catonis ex ipfius Catonis fcriptis compofuit. Pertinent enim, quae in ea legimus, omnia ad vitam eius publicam, quibus certe in Originum libris fuus cuique fuit locus. Et videmus etiam nonnulla ab eo petita, nam quod fcribit c. 1. *primum ftipendium meruit annorum decem feptemque*; idem legitur apud Plutarchum ad eum provocantem: ita enim in vita init. *φησὶ γὰρ αὐτὸς, ἑπτακαίδεκα γεγονὼς ἔτη τὴν πρώτην στρατεύσασθαι στρατείαν.* Saepius hic ipfum Catonem auctorem affert, ut in illo: *αὐτὸς δέ φησιν ὁ Κά-*

Κάτων πλείονας εἰληφέναι πόλεις, ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ. Continet tamen Catonis vita, quae quidem hodie inter Nepotis ſcripta ſuperest, non niſi ſumma rerum capita ab illo gestarum. Quo magis dolemus librum, quem ſeparatim de eo fecit rogatu Titi Pomponii Attici, interiisſe, quippe in quo de Catonis vita et moribus plura ſe perſecutum esſe, Nepos declarat, ad quod volumen ſtudioſos Catonis nos frustra nunc delegat. — De Catonis ſcriptis et fragmentis ſcripſit diatriben I. H. van Bolhuis; quae tamen mihi non niſi nomine tenus innotuit e relatione Peerlkampii Biblioth. Cr. N. vol. III. p. 397 ſeq.

POLYBIUS.

Aetate minor, non item auctoritate, fuit Polybius Megalopolitanus, qui duplici munere historici et philoſophi egregie functus est. Quamvis huic vituperatores non defuere, ut Sebastianus Maccius, veteres tamen magni eum fecerunt. Cicero certe eum bonum auctorem in primis iudicavit, de Off. III. 32, ut eum potisſimum ſequeretur, *quo nemo fuerit in exquirendis temporibus diligentior* de Rep. II. 14; et Livius eius fidem tantopere probavit, ut ad verbum paene libros illius integros verteret, iisque pro ſuis uteretur, ut recte animadvertit magnus Caſaubonus in aurea praefatione Polybii ad Henricum Quartum; quo exilior posſit

vi-

videri laus, quam ei tribuit, eum appellans *haudquaquam spernendum auctorem* l. XXX. extr., quomodo nonnullis visa est, ut Vossio; tenendum tamen, eam potius ita videri quam esse, quum *haudquaquam spernendum*, non minoris valeat quam, *omnino* sive *maxime laudandum*, ut *haud contemnendum*, non minoris quam, *omnino probandum*. Nepotem adhibuisse Polybium, constat ex Hannib. c. 13, idemque satis apparebit ex locis, quae mox allaturus sum, si prius monuero, etsi multa in vitis Hamilcaris et Hannibalis sunt loca, quae omnino consentiant cum Polybianis, ob eam tamen caussam non omnia posse dici ex Polybio hausta esse, cum fieri possit, ut saepius ille consensus inde venerit, quod ambo communi fonte usi sunt. Nam cum Polybius bello Punico secundo iamiam composito natus demum sit, in Hannibalis eoque magis in Hamilcaris rebus conscribendis aliorum scripta adierit necesse est. Atque hoc perpetuo teneatur in locis quae nunc adducturus sum.

Videtur itaque respexisse Nepos ad Polybium, quum in Hamilcare c. 1. scribebat. *Ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestum non videretur.* Locum Nepotis non bene accepit Lambinus, qui, ut illum corrigeret, annotavit: *Imo oppugnavit sive obsedit.* Verum quidem est, quod idem Lambinus addidit: *Nam tenebant Romani a L. Iunio Bruto paulo ante captam.* Hoc enim constat ex Polybio I. p. 56. ed. Casaub. *Καταλαμβάνει πραξικοπήσας τὸν Ἔρυκα, καὶ γίγνεται*

τοῦ

τοῦ τε τῆς Ἀφροδίτης ἱεροῦ καὶ τῆς πόλεως ἐγκρατής. Sed, ut eodem teste p. 59. Hamilcar, τῶν Ῥωμαίων τὸν Ἔρυκα τηρούντων, urbem occupavit, quod etiam Diodorus memorat XXIV. Ecl. 2; et, ut Polybius pergit, Hamilcar cum Carthaginiensibus suis supra hominum fidem, hostibus undique ipsum prementibus restitit; ad quem locum, opinor, Nepos respexit. Tum quae sequuntur, Carthaginienses classe apud insulas Aegates a C. Lutatio Consule Romano superatos esse, atque ob id statuisse belli finem facere, e Polybio desumta dixeris, certe cum huius traditione, ampliore illa quidem, omnino consentiunt. Vid. Polyb. I. p. 61. Hanc autem rem arbitrio permiserunt Hamilcaris, ut addit Nepos; atque ita plane Polybius I. p. 63. διόπερ ὀξέως διαπεμψάμενοι πρὸς τὸν Βάρκαν ἐπέτρεψαν ἐκείνῳ περὶ τῶν ὅλων. Pacis autem conditiones ibidem leguntur. Deinde quae de militum mercenariorum seditione refert, cui malo ut subveniretur Hamilcarem imperatorem fecerint, qui eos eo compulerit, ut locorum angustiis clausi plures fame quam ferro interirent; etiam tradit Polybius I. p. 65 et 86. quam seditionem etiam memorat Appianus de reb. Hisp. c. 4. Punic. c. 4. ed. Schweigh. Negaverat autem Lambinus et post eum Schottus, quod Nepos tradit, Carthaginienses auxilium a Romanis petivisse idque impetrasse, ea de re quicquam reperiri apud Polybium. Vide tamen an eo pertineant, quae apud hunc leguntur p. 84: ἠναγκάζοντο καταφεύγειν ἐπὶ τὰς συμμαχίδας πόλεις ....

ἀλ-

ἀλλὰ καὶ Ῥωμαῖοι τηροῦντες τὰ κατὰ τὰς συνθήκας δίκαια; προθυμίας οὐδὲν ἀπέλειπον· ἐν ἀρχαῖς μὲν γὰρ ἐγίνετο τις ἀμφισβήτησις ἐξ ἀμφοῖν . . . . . . ἀπὸ δὲ τούτου τοῦ καιροῦ πρὸς ἕκαστα τῶν παρακαλουμένων, ἑτοίμως καὶ φιλανθρώπως ὑπήκουον. Quem locum etsi citavit Lambinus, idem tamen, an ad rem, quam Nepos narrat, pertineat, valde addubitavit. Mihi quidem nullum dubium est, neque alii cuivis futurum credo, praesertim si loci, ubi haec scripsit Polybius, ratio habeatur. Quando vero legimus c. 3. Hamilcarem imperatorem cum exercitu in Hispaniam missum esse, qui occiso deinceps Hasdrubal suffectus sit, Polybium facile agnoscimus: vid. l. II. init. Quae autem Nepos interseruit, *fidenti animo atque infesto Romanis, quo facilius causam bellandi reperiret*, desumta sunt ex Polybio l. III. p. 166; ita enim hic: εὐθέως ἐποιεῖτο τὴν ὁρμὴν ἐπὶ τὰ κατὰ τὴν Ἰβηρίαν πράγματα, σπουδάζων ταύτῃ χρήσασθαι παρασκευῇ πρὸς τὸν κατὰ Ῥωμαίων πόλεμον. Quamvis vero, quae scripsit c. 4. consentiant, cum Polybio II. init., quatenus ambo scripserunt, Hamilcarem in proelio occisum esse, quod etiam narrat Appianus de reb. Hisp. c. 5, ea tamen ex Polybio non esse desumta inde constat, quod hic non memoravit, cum quo pugnaret Hamilcar cum occisus est, ut Nepos, qui in proelio pugnantem adversus Vettones eum occisum retulit, sed tantummodo scripsit: Πρὸς τοὺς ἀνδρωδεστάτους καὶ μεγίστην δύναμιν ἔχοντας παραταττόμενος . . . . . . ἐῤῥωμένως τὸν βίον μετήλλαξε. Caeterum animadvertendum est Nepotem

Ha-

Hamilcaris indolem egregie expressisse, ut eius, qui esset strenuus bellator, fortissimus dux et infensissimus Romanorum hostis, qualem eundem ex Polybio novimus. Adeo ut non potuerit Nepos, quin assentiretur Polybio: Hamilcaris *perpetuum odium erga Romanos maxime concitasse secundum bellum Punicum*, c. 4. Ita enim Polybius III. p. 165. *οὐ μὴν ἀλλὰ, καὶ τοῦγε Ῥωμαίων καὶ Καρχηδονίων πόλεμον . . . . . . νομιςέον πρώτην μὲν αἰτίαν γεγονέναι τὸν Ἀμίλκου θυμὸν, τοῦ Βάρκα μὲν ἐπικαλουμένου, πατρὸς δὲ κατὰ φύσιν Ἀννίβου γεγονότος*. Cf. Livius XXI. 1.

In vita Hannibalis apud Nepotem multa Polybii vestigia obvia esse, haud est quod miremur, si quidem in huius opere Hannibal maxime super eminet. Sic, quod scripsit c. 2. de legatis Romanis, qui ad Antiochum venissent, ut Hannibalem in suspicionem regis adducerent, quum ille, ut omnem suspicionem removeret, regi narrasset, se puerum a patre ad aram adductum esse, ut iuraret nunquam se in amicitia cum Romanis fore, hoc, inquam, desumtum est ex Polybio III. p. 166 seq. Locus longior est, quam ut apponam: qui vero eum cum Nepote contulerit, is videbit, quantum utriusque locus sibi invicem accinat. Plerique rerum Romanorum scriptores rem memorarunt, inter quos in primis Livius, qui multis in locis plura e Polybio sumsit, XXXV. 19. Quamquam pro more, tum ei, tum plerisque veteribus historiarum scriptoribus usitato, orationem pro suo ipse ingenio commutavit. Saepius inter Ne-

potem et Polybium convenit, ut Hannibali, interfecto Hasdrubale, imperium delatum esse, cf. Polyb. III. p. 168; eum Saguntum expugnasse, cf. id. p. 178 seq.; eum tres maximos exercitus comparavisse, quod item efficitur ex Polybio p. 187. Deinde c. 4, gravi morbo oculorum Hannibalem affectum esse, et Polybius p. 231., et, eum ut videtur secutus, Livius XXII. 2. retulerunt. In quibus tamen an Nepos ex Polybio hauserit, dubito, propter sequentia *lecticaque ferretur*. Hic enim elephanto eum vectum esse scribit. Porro Hannibalem C. Flaminium, cum exercitu insidiis circumventum, apud Thrasymenum occidisse. Cf. Polybius p. 234., qui item de insidiis loquitur, cum Livius iisdem fere ac Nepos verbis utatur Epit. l. XXII. Denique, nam infinitum est omnes locos similes persequi, idem evenisse C. Centenio Praetori, cf. Polyb. p. 237. Paenula cognominatur a Livio XXV. 19. Apud Polybium non legimus eum praetorem fuise; et Livius XXII. 8. *propraetorem* eum appellat; Zonaras eum στρατηγὸν vocat, quo praetorem eum denotare voluisse, crediderim, quod Latini praetores saepius appellant, quos Graeci στρατηγοὺς, ut Nepos Milt. c. 4. *domi creant decem praetores*.

L. COELIUS ANTIPATER.

In fontibus investigandis e quibus Nepos probabiliter hauserit, in censum item venit L. Coelius Antipater, qui Gracchorum tempore vixit, ut Vossi-

sius ostendit, de Hist. Lat. p. 10. De Antipatro eiusque scriptis egregie meruerunt Bav. Ant. Nauta et Groenius van Prinsterer, in sua uterque de eo disputatione, praemio ornata, in Ann. Acad. Lugd. Bat. anni 1820—1821. Ad propositum nostrum quod attinet, sufficit animadvertisse, cum Antipater belli Punici secundi historiam conscripserit, ut satis liquet e fragmentis, septem, ut videtur, libris, ipsique veteres satis bene de eo iudicarint, credendum esse Nepotem, etsi Antipatri non meminerit, in Hannibalis potissimum vita, eius scriptis usum esse; quamquam operis iactura facit, ut quid ex eo sumserit certo dicere non possimus. Ex fragmentis tamen quae supersunt lux aliqua affulget. Putat Lipsius, quae tradit Nepos de Alpium transitu, quem locum supra exhibui, consentire cum Antipatri narratione. Item consensus apparet, quando in Hannib. c. 5 Fabium Maximum *Dictatorem* appellat. Antipater enim scripsit, hunc primum a populo *dictatorem* creatum esse, ut novimus ex Livio, illum ob id reprehendente XXII. 31. Fuit enim Fabius *prodictator*, teste eodem XXII. 8. Nam uni Consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, ius fuit dicendi dictatoris. Veruntamen hac in re ne temere statuatur Nepotem Antipatrum secutum esse, siquidem et alii Fabium dictatorem appellarunt: ut Zonaras, Ann. VIII. 25. Immo, teste Livio, omnium fere annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem res gessisse tradiderunt; quin et ipse Livius XX. 9, 11. et in illa

 nar-

narratione saepius eum dictatorem vocat. Et, licet Polybius III. p. 238. scripsit: *Ῥωμαῖοι δὲ δικτάτορα μὲν κατέστησαν Κόϊντον Φάβιον*, hunc tamen Nepos non secutus est, ut intelligitur inde, quod in temporum ordine omnino a Polybio recedit, siquidem hic, quae ibi leguntur, accidisse refert ante pugnam ad Cannas; cf. Polybius III. p. 243. Quin tamen, ut supra dixi, in aliis Antipatri annalibus sive Historiis (nam utroque modo opus citatur) usus sit, non dubitandum est, sive quod ex iis ceu germano fonte hauserit, (habuit enim Antipater apud veteres magnum in historia nomen, quem Livius saepius secutus est, Cicero multis in locis eximie laudat, quemque Valerius Maximus, *certum* historiae Romanae auctorem appellavit I. 7.), sive quod ex eodem fonte atque Antipater hauriens, huius opera tantum consuluerit. Et videmus etiam utrumque eosdem scriptores adiisse. Nam Nepotem Silenum auctorem habuisse docuimus, idemque de Antipatro ita testatur Cicero de Divin. I. 24: „Hoc idem in Sileni, quem „Coelius sequitur, Graeca historia est; is autem „diligentissime res Hannibalis persecutus est." Utrovis adeo consilio Antipatri operibus usus sit Nepos, non parum fidei ei accedit.

T. POMPONIUS ATTICUS. SULPICIUS.

Attici et Sulpicii opera Nepoti usui fuisse vel inde constat, quod indicavit quid de tempore mortis

tis Hannibalis uterque retulerit, Hannib. c. 13. Scripſit Atticus librum *annalem*, ut ibidem vocatur, cuius meminit Cicero, ad ipſum Atticum ſic ſcribens XII. 23: *quibus Conſulibus Carneades et ea legatio Romam venerit, ſcriptum est in tuo annali.* Continebat hoc opus res maxime Romanorum, quae a primordiis civitatis acciderunt, ut cognoscitur ex eodem Orat. 34. Fuere ſane Attici in ea re maximae dotes, ſiquidem hoc libro omnem rerum memoriam breviter et perdiligenter complexus est, ut videbatur Ciceroni, cui quidem, ut ipſe fatebatur, nova multa hic liber habuit, et eam utilitatem, quam requirebat, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conſpectu omnia videret. Vid. in Brut. c. 3, 4. Quanti hunc librum Nepos fecerit, ex his intelligitur: *Moris etiam maiorum*, inquit, *ſummus imitator fuit antiquitatisque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quae non in eo ſuo tempore ſit notata, et, quod difficillimum fuit, ſic familiarum originem ſubtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines poſſimus cognoscere.* Ut adeo minime mirum ſit Nepotem Attici annalem adhibuiſſe; non, ut ex eo ceu fonte hauriret. Nam, cum Atticus Nepotis eſſet aequalis, atque adeo ſua ipſe ex ſuis quaeque fontibus petere deberet, quid, ſi ex Attico Nepos petiviſſet, inde auctoritatis et ponderis ſuo operi acceſſiſſet? Pariter feciſſet atque ii,

 qua-

quales hodieque reperiuntur non pauci, qui veteris historiae notitiam ex recentioribus sibi petunt, aut saltem sibi petere cupiunt, et, nescio quantum, sapere sibi videntur, quum sic fonte neglecto, ex rivulis quid sibi paraverint. Sed ita hoc libro usus est, ut illum cum auctoribus, quos adierit, conferret; atque adeo illum consuleret, ut videret, quomodo Atticus in eadem atque ipse re versatus, superiorum auctorum operibus usus esset.

Idem valet de Sulpicio, quem Nepos eodem loco, Hann. c. 13, memorat, quemque Vossius de Hist. Lat. p. 29. autumat cognominatum Galbam et eundem fuisse, de quo ita Suetonius in Galba c. 3: *Avus* (Galbae) *clarior studiis quam dignitate, non enim egressus praeturae gradum, multiplicem, nec incuriosam historiam edidit.* Nescio an idem sit ac Servius ille Sulpicius, qui ab amico Cicerone ob iuris peritiam et eximiam dicendi facultatem saepius collaudatus est, de quo Pomponius in l. 2. § 43. D. de O. I., an eius filius fuerit, quem in omnibus ingenuis artibus ita versari, ad patrem scripsit Cicero, ut excelleret, cuius cum omni probitate summaque virtute, tum studiis doctrinaque delectabatur, Cicero Ep. IV. 3, 4; an alius quis. Nam quis fuerit, aut quam historiam conscripserit, haud ita facile dixeris; etsi ex Nepotis loco coniicere licet, eum bellum Hannibalicum exposuisse, quam scriptionem Nepos adhibuerit, ut ex citato loco efficitur. Aliorum fortasse operibus usus est, (loquor autem de vitis Nepotis superstitibus tantum; nam in deper-

di-

ditis, in quibus de Romanis imperatoribus egit, quin hos scriptores adhibuerit dubitare vix possumus), ut Fabii Pictoris, qui primus Romanorum soluta oratione historiam scripsit; L. Cincii Alimenti, qui historiam Hannibalis Graeco sermone exposuit, teste Dionysio Hal. Ant. I, aliorumque. Cum tamen propter horum operum iacturam quid et quomodo ex iis Nepos hauserit, statui omnino non possit, silere praestat, quam coniecturis nimium indulgere.

Ἐφ' οἷς γὰρ μὴ φρονῶ, σιγᾶν φιλῶ.

ERRATA.

Pag.	7.	*lin.* 15.	commissi	*lege*	commissos.
—	8.	— 14.	quadammodo	—	quodammodo.
—	15.	— 18.	*Δοξίον*	—	*Δοξίου.*
—	21.	— penult.	Tisagorum	—	Tisagoram.
—	22.	— 15.	Exandri	—	Erxandri.
—	26.	— 12.	Aphidraei	—	Aphidnaei.
—	33.	— ult.	tabula	—	fabula.
—	36.	— penult.	Lacedaemonium	—	Lacedaemoniorum.
—	37.	— 15.	Aegis	—	Argis.
—	54.	— 4. fin.	Talem	—	talem.
—	59.	— 6.	VIII.	—	XIII.
—	64.	— 2.	num — ducem	—	sum — duce.
—	75.	— 18.	consentiat	—	consentit.
—	105.	— 18.	Aelianus	—	Aelianum.
—	111.	— penult.	com-	—	non com-

Hoc ipso die (IV. a. Kal. Ian. MDCCCXXVIII.) ut postremas has plagulas emendandas a prelo accepi, simul ad me misit librarius alteram earum disquisitionum, quae cum mea in certaminis societate fuerunt, I. I. HISELY *auctore. Hanc vero nunc amplius non vacat ad nostram exigere totam iam excusam. Id unum continuo animadverti diversa prorsus a nostra auctorem forma usum esse.*